



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. debuerit discipulis in alia effigie apparere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Dubium.

Hac verò occasione querit D. Th. in sol. ad 2. quò in loco fuerit Christus illis diebus, quando à discipulis recedebat. Et nihil aliud respondet, quam hoc esse incognitum, cū scriptura nihil tradat, & in omni loco sit dominatio eius. Quod verū est cognitione certa, & indubitata. Idem verò D. Tho. in 3. dist. 22. q. 3. art. 2. q. 3. ad 3. coniectura vtendo, significat, fuisse in paradyso terrestri: quia dicit, in eo fuisse animas, quæ cum Christo ab inferis ascenderunt, & idem docet Bonau. in meditationib. vitæ Christi, c. 91. Nicephorus etiam lib. 1. c. 31. idem significat, dum ait, Christum eduxisse animas Sanctorum ex Sinu Abrahamæ, & in paradyso terrestri collocasse. Quod etiam sentit Iustinus quæ. 75. 76. & 85. & Irenæus lib. 5. contra hæres. qui in hunc modum interpretantur illa verba. Hodie mecum eris in paradyso. Sed supra ostendimus, non posse hæc verba de paradyso terrestri intelligi, quia eo die non fuit Christus in paradyso terrestri, sed in inferno. Hæc ergo sententia incerta est, præsertim cum valde dubium sit, an paradyso terrestris nunc extet. Est ergo (vt D. Th. hic recte dicit) hæc res prorsus incognita hominibus, de qua iterum redibit sermo: cum de Ascensione Domini agemus.

In solutione ad tertium & quartum, multa differit D. Tho. de apparitionibus Christi post Resurrectionem, de quibus instituenda erit sequens disputatio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus debuerit discipulis in alia effigie apparere.

303.
3. d. 21 q. 2. a.
4. q. 1. ad 3.
Ep. op. 60. ca.
22. col. 5. fi.



Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere. Non enim potest apparere secundum veritatem nisi quod est. Sed in Christo non fuit nisi vna effigies. Si ergo Christus in alia effigie apparuit, non fuit apparitio vera, sed ficta: quod est inconueniens, qui vt Aug. dicit in lib. 83. quæst. Si fallit Christus, veritas nō est, est autem veritas Christus. Ergo videtur quod Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere.

2. Præterea. Nihil potest in alia effigie apparere, quam habeat, nisi oculi intuentium aliquibus prestigijs detineantur. Huiusmodi autem prestigijs cum fiant magicis artibus, non conueniunt Christo, secundum illud 2. ad Cor. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial. Ergo videtur quod non debuerit in alia effigie apparere.

3. Præterea. Sicut per Sacram Scripturam nostra fides certificatur, ita discipuli certificati sunt de fide resurrectionis, per Christi apparitiones. Sed sicut Augustinus dicit in Epistola ad Hieron. si vel vnum mendacium in Sacra Scriptura recipiatur, infirmabitur tota Sacra Scriptura autoritas. Ergo si vel in vna apparitione Christus discipulis apparuit aliter, quam esset, infirmabitur quicquid discipuli post resurrectionem viderunt in Christo, quod est inconueniens. Non ergo debuit in alia effigie apparere.

Sed contra est, quod dicitur Marc. vlt. Post hæc, duobus ex eis ambulanti bus ostensus est in alia effigie euntibus in villam.

Respondet dicendum, quod (sicut dictum est) resurrectio Christi manifestanda fuit hominibus per modum, quo eis diuina reuelantur. Innotescunt autem diuina hominibus diuersimodè, secundum quod diuersimodè sunt affecti. Nam illi, qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem diuinam percipiunt. Illi autem, qui non habent mentem bene dispositam, diuinam percipiunt cum quadam confusione dubietatis, vel er-

Fr. Suarez, tom. 2.

Responsio
D. Thom.]

Bonauent.
Nicephor.

Iustin.
Iren.

Luc 23.

Aioris. Animalis enim homo non percipit eā, quæ sunt spiritus Dei, vt dicitur ad Cor. 2. Et ideo Christus, quibusdam ad credendum dispositis, post resurrectionem apparuit in sua effigie. Illis autem in alia effigie apparuit, qui iam videbantur circa se tempelescere. Vnde dicebant, Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Vnde Greg. dicit in homil. quod talem se exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente: quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longius fingit, scilicet, ac si esset peregrinus.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut Augustinus dicit in lib. de Questionibus Euangelij) non omne quod fingimus, mendacium est: sed quando illud fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium: cum autem fictio nostra refertur in aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ à sapientibus, & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur: quia secundum vsitatum intellectum non consistit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta sine mendacio ad aliquam rem significandam, & i. solutione. ita factum est hic, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod (sicut August. dicit in lib. de Conf. Euan.) Dominus poterat transformare carnem suam, vt alia vera esset effigies ab illa quam solebant illi intueri: quandoquidem & ante passionem suam transformatus est in monte, vt facies eius claresceret sicut sol: sed non ita nunc factum est. Non autem incongruentur accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus. Vnde Luc. vlt. dicitur, quod oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

C Ad tertium dicendum, quod ratio illa sequeretur, si ab aliena effigie aspectu nō fuissent reducti ad vere videndum Christi effigiem. Sicut enim Aug. dicit ibid. Tantum à Christo facta est permixtio, vt scil. prædicto modo oculi eorum tenerentur vt. pa 2. ap. 1. 4. que ad fractionem panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici vt Christus possit agnosci. Vnde ibidem subditur quod aperti sunt oculi eorum & cognouerunt, non quod ante clausis oculis ambularent, sed inerat aliquid, quo nō sinerentur agnoscere, quod videbant, quod scilicet caligo, & aliquis humor efficere solet.

Hic articulus explicatus est quaestione præcedenti in comm. ar. 1. circa solutionem ad 3. Neq. hic aliquid addendum occurrit præter ea, quæ in sequenti disputatione dicemus.

DISPUTATIO XLIX.

In quinque Sectiones distributa.

De apparitionibus Christi post resurrectionem.



Ex historia Euangelica, vt ex doctrina Augustini inferius comprobabimus, decem Christi apparitiones post resurrectionem colligimus, quas hic breuiter exponemus, attingendo, in quibus Euangeliste discrepare videntur, eaque in concordiam redigendo, simulque explicandum erit, an forte aliqua apparitio facta sit, quæ ab Euangelistis non narretur.

SECTIO I.

Vtrum Christus Dominus statim post resurrectionem matri suæ, priusquam cæteris omnibus apparuerit.

Ratio dubitandi præcipue sumitur ex Marco asserente, Christum primo apparuisse Mariæ Magdalene: quia ergo contra tam expressum testimonium

22 2

humi

Marc. 16.

nū audebit affirmari, prius alteri apparuisse, præ-
fertim cum nullus ex antiquis Patribus id affirma-
re ausus sit? Videntur enim Euangelistæ verba sim-
pliciter, & vt sonant, intellexisse. Nam si propter di-
gnitatem matris licet Virginem excipere à genera-
libus verbis Euangelistæ: eadem ratione licebit exci-
pere v.g. Petrum, vel Ioannem propter singularem
eorum dignitatem. Vel certe licebit exponere,
Christum primo apparuisse Magdalene inter fœ-
minas, non verò inter viros, quia videri potest cõ-
gruum, vt potius apparuerit Petro, quem caput Ec-
clesiæ, & Apostolorum principem cõstituturus erat,
quam Mariæ Magdalene. Si ergo propter apparen-
tem congruentiam huiusmodi expositio admitten-
da non est: neque etiam B. Virginem licebit excipe-
re. Et confirmatur, quia nulla est sufficiens ratio,
neque coniectura, quæ vehementer hoc suadeat.
Primo quia plus est videre Christi diuinitatem, quã
gloriam resurgentis, & tamen non fuit B. Virgo pri-
ma quæ inter homines vidit Deum: Nam August.
& D. Thom. existimant, Moysen prius vidisse Deū.
Et de animabus Sanctorum Patrum, est etiam proba-
bile, quia non est certum B. Virginem vidisse
diuinitatem ante Christi resurrectionem. Secundo
quia hoc beneficium vidēdi oculis corporeis Chris-
tum resurgentem, est quasi temporale, & extrin-
secum, per se non pertinens ad veram animæ san-
ctitatem: ergo non fuit necesse, Virgini conferri,
neque hoc pertinere ad eius perfectionem. Nam po-
tius ipsemet Christus dixit, *Beatos esse, qui non viderūt,
& crediderunt*, quasi diceret, videre oculis corporeis
nihil referre ad animæ beatitudinem, si absque tali
visione vera ac firma fides retineatur. Vnde confir-
matur tertio, nam Christus apparuit Magdalene &
alijs, vt eos in fide confirmaret (erant enim nūtan-
tes, & imperfecti) B. autem Virgo non indigebat
hoc subsidio: erat enim in fide perfectissima. Dices
Quamuis B. Virgo fuerit perfectissima in creden-
do & hac ratione visione filij non indiguerit: ege-
bat tamen consolatione, quia summa tristitia, & do-
lore affecta erat. Rursus licet visio corporalis per se
non pertineat ad sanctitatem animæ: plurimum ta-
men potuit Virgini ad illam conferre, amore mer-
ga filium excitando, & accendendo. Sed cõtra, quia
(vt hæc omnia fateamur) ad summum suadent de-
cuisse, vt brevi tempore post resurrectionem suam
Christus Virgini appareret, non verò, quod ante
omnes quia licet Virgo nō fuisset prima, quæ Chris-
tum post resurrectionem videret, potuisset eundē
spirituale fructum, eandemque consolationem
ex illius præsentia capere: ergo nihil videtur ad di-
gnitatem, & perfectionem Virginis attingere, quod
ante omnes Christum viderit resurgentem.

Post resurre-
ctionē primo
matri suæ
Christus ap-
paruit.

Nihilominus absque vlla dubitatione credendū
est, Christum post resurrectionem primum omnium
matri suæ apparuisse. Quæ sententia ex iplis termi-
nis adeo est per se credibilis, vt vere sine controuer-
sia, omnium fidelium, & Doctorum animis infide-
rit, atque ita doceant omnes scriptores Catholici, qui
hanc quæstionem attigerunt. Vnde videtur hic fuisse
perpetuus Ecclesiæ sensus, quia nullum reperi-
mus initium, quando hoc cõperit in Ecclesia doceri.
Et quamuis antiqui Patres id frequenter non af-
ferant, non ideo est, quia contrarium sentirent
(nunquam enim hoc negarunt) sed quia solum ea
narrabant, quæ ab Euangelistis scripta sunt. Neque
verò omnino desunt nobis antiquitatis vestigia &
testimonia. Nam Ambrosius li. 3. de virginib. aliquā-
tulum à principio, expresse id affirmat his ver-
bis. *Vidit ergo Maria resurrectionem domini, & pri-
ma vidit, & credit. Vidit & Maria Magdalena, quam-
vis adhuc ista mutaret.* Citari etiam solet Grego. Naz.
orat. 42. quæ est 2. de Resurre. vbi nihil aperte dicit,
sed potius in fine illius orationis significat, Virgi-
nem simul cum alijs mulieribus iussisse ad sepulcrū

Quod clarius dicit in Tragedia de Christo patien-
te, & idem sentit Greg. Nyssen. Orat. 3. de Resurre. & Greg. Nyss.
Sedulius lib. 5. paschali carminum in fine. Quod
(vt in superioribus diximus) verisimile non est, nec
B. Virginem decens, neque eius fidei consentaneum:
quin etiam neque Euangelij conforme, vt inferius
videbimus. Docuit autem expresse hanc sententiam
Sedulius paulo inferius his carminibus:

*Discedat synagoga suo fuscata colore.
Ecclesiam pulcro Christus sibi iunxit amore,
Hæc est confusio radians in honore Mariæ;
Quæ cum clarifico semper sit nomine mater.
Semper Virgo manet. Huius se visibus adstant
Luce palam Dominus prius obtulit, vt bona mater.
Grandia diuulgans miracula, quæ fuit olim.
Aduenientis iter, hæc sit redeuntis & index.*

Optime Anselmus de excellentia Virginis, ca. 6. Ansel.
dicit, immensitatem gaudij, quo in hac tili appariti-
one Virgo perfusa est, Angelis fuisse admirandā
hominibus autem inenarrabilem. Deinde verò ro-
gat, cur Euangelistæ non narrauerint, Christū pri-
mo ac præcipue matri apparuisse. Respondetq; pri-
mo, quia hoc videri poterat superfluum, deinde ne
viderentur Reginam Cæli & terræ, cæteris, quibus
Christus apparuit, cõsequare. Spiritus (inquit) eius in
illa plene, ac perfecte quiescebat, qui sibi & esse illius, &
facta eius omnia luce clarius reuelabat, & Euangelistæ
scriberent tunc, vel tunc talem semet illi exhibuisse. Idem
Bouaurent. in meditationibus vitæ Christi. c. 87. Tā-
dem Rupert. lib. 7. de diuin. offic. ca. 25. ostendens
antiquam traditionē, dicit, recte à maioribus tradi-
tum esse, vt in processionibus diei Dominicæ, pri-
ma statio, & saluatio fiat ad B. Virginem. Gessit enim
(inquit) Christiana deuotio pendere, quantum totiens
gaudy repente inundans animam eius ferro doloris con-
fossam inebriat, cum rediuit filius illi ante omnes for-
tales mortales, materno Virginem non defraudans honore,
victoriam suam annuntiavit. Et infra, Ver si ne igitur
matri filius resurgens apparuit: sed illa, vt ab initio cape-
rat, ita, & nunc conseruabat omnia verba hæc conferens
in corde suo. Quod si fidem verum non videretur, quia nul-
lus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est
quod nunquam post resurrectionem suam visus sit matri, Christi post
quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorum dixit. resurrectioni
Sed absit hoc ab illo, qui in lege suā patrem, & matrem ho-
norare præcepit, absit, inquam, vt matrem propter se do-
loris gladio transuerberatam tam dura negligentia talis fi-
lius in honorauerit. Non sic Apostolica sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ sensus veritas, quæ hanc beatam Ierusalem in prin-
cipio latuit suæ posuit. Et infra dicit, Christum mox
vt surrexit, dixisse. Vadam ad montem myrrhæ, & ad
collem thuris: Quia enim sui corporis parte alius post Chri-
stum Ecclesiæ sublimitas enituit, quam singularibus huius
Reginæ Angelorum meritis: & quo in vertice montium tan-
tum myrrhæ, & thuris, id est mortificationis, & orationis
inueniri potuit, quantum in huius Virginis animâ, quam
singulariter Dominica passionis gladius pertransierat? Iti
quibus Rupert. verbis multæ coniecturæ continen-
tur ad hanc veritatem persuadendam, & ideo om-
nia retuli. Et ibidē respondet Rupert. ad locum Mar-
ei dicens, Euangelistas solum retulisse eas appari-
tiones, quæ factæ sunt in testimonium vere resurre-
ctionis, iuxta illud Act. 16. *Dedit eum manifestum fieri
non omni populo, sed seditibus præordinatis à Deo.* Non enim
assumpserunt onus scribendi omnia, quæ Christus
gessit neque omnia singularia officia, quæ matri ex-
hibuit, sed ea tantum, quæ ad mysteria fidei con-
firmanda, & referenda sufficere visa sunt. Cum
ergo dicitur CHRISTVS primo apparuisse Ma-
riæ Magdalene, intelligendum est vel inter eos
qui futuri erant testes resurrectionis, de quibus
Euangelistæ scribebant, vel inter eos, quibus
Christus apparuit ad eorum fidem confirmandam.
Quo

Bonaurenti
Rupert.

Cantua. d.

Rupert.
ad. 10.

Quocirca in hoc numero beata Virgo non comprehenditur. Quia nec futura erat testis resurrectionis, ne ob filij amorem aliquid fingere exitimaretur, neque de fide resurrectionis aliquando fuit incerta. Et ideo non propter hanc causam ei Christus primo apparuit: sed ut debitam amoris, & honoris significationem praeberet. Ex quo fit, ut non solum censeamus, Virgini concessum esse hoc beneficium propter commodum eius: sed etiam, quia ipsum Christum hoc maxime decebat: Tum quia ut filius debuit singulariter honorare matrem. Tum etiam, quia cum ab ipsa maxime diligeretur, debuit etiam singularia amoris signa rependere. Unde necesse fuit, ut hoc singulari beneficio fides, spes, & charitas Virginis in Christum plurimum crescerent, ac confirmarentur. Atque ex his facile expediuntur rationes omnes dubitandi in principio positae.

SECTIO II.

Quae & quot fuerint mulieres, quibus Christus suscitatus apparuit.

Incipimus sermonem instituire de apparitionibus, quot ab Euangelistis narratur, & quoniam simul scribunt de Magdalena, & alijs feminis, oportet prius nonnulla praemittere de illarum numero, & quae illae fuerint declarare. Non agemus autem: quo tempore profectae sint ad monumentum. Quoniam de hac re in superioribus disseruimus, tractantes de tempore Dominicae resurrectionis, ubi verba Euangelistarum huc spectantia exposuimus, & in concordiam redegitur.

In hac ergo quaestione, circa numerum harum mulierum, videtur esse quaedam diuersitas in Euangelistis. Nam Ioannes, solius Mariae Magdalenaem meminit: Matthaeus addidit alteram Mariam, Marcus adiunxit Salome, & non dixit alteram Mariam: sed Mariam Iacobi. Tandem Lucas, praetermissa Salome, nominat Ioannam cum alijs duabus Marijs, & subdit verba generalia nimirum, Profectas simul ceteras, quae cum eis erant: Propter haec posset aliquis suspicari Euangelistas fuisse loquutos de diuersis feminis, & de varijs profectiōibus earum, quod significauit Hieronymus verbis quibusdam generalibus Matthaei 28. & epistola 150. ad Hedibiam, quae st. 4. & 5. Vbi significat, Magdalenam prius venisse cum alijs: postea vero solam. Alij autem e contrario (ut ibidem refert) dixerunt prius venisse solam (propter Ioannem indicare censebant) postea vero cum alijs. Similia habet Nicephorus libro 1. Histor. capitul. 33. ubi multa alia dicit, quae probari nullo modo possunt. Omitto Ambrosium, & alios, qui dicunt, fuisse plures Magdalenas, & alteram venisse solam: alteram vero cum reliquis feminis. Hoc enim falso niti fundamento, statim ostendimus. Quamobrem quicquid sit de alijs profectiōibus, vel itineribus ab ijs mulieribus factis, postquam primo ad monumentum perueniunt (de quibus postea dicemus) tamen quod omnes Euangelistae incipientes narrare historiam resurrectionis, quando eas primo nominant, loquantur de eadem re, atque adeo de eisdem mulieribus: & de prima profectiōe earum ad monumentum certum est, & expresse id docet Hieronymus citato loco, & ex verbis Euangelistarum satis aperte constat. Ideo enim omnes commemorant fuisse mulieres valde mone, statim ac elapsa fuit nox Sabbathi: omnes etiam referunt, tunc primo vidisse lapidem sublatum. Deinde supra ostendimus, quod ad praesentem profectiōem mulierum spectat, omnes Euangelistas de eodem tempore, horaque esse loquutos. Praeterea si prius Magdalena venit sola, & vidit lapidem sublatum, quomodo postea rediens cum alijs feminis dicebat, *Quis reuoluet nos*

Fr. Suarez, tom. 2.

Ab lapidem? Si vero prius venit cum alijs feminis, & cum eis vidit lapidem sublatum: ergo statim redijt ad id nuntiandum Apostolis, ut Ioannes narrat, ergo quoad hoc loquuntur omnes Euangelistae de eadem mulierum profectiōe: ergo & de eisdem mulieribus. Tandem varietas proposita nullam infert difficultatem. Nam Euangelistae, qui pauciores mulieres exprimit, non excludit alias, omnes ergo, quae ab omnibus simul connumerantur, profectae fuerunt, quamuis non omnes à singulis enumerantur.

Ex dicta igitur narratione saltem constat, iussisse tres mulieres, quarum nomina Euangelistae recensent, & praeterea alias, quot autem illae fuerint incertum est, solumque affirmari potest, fuisse plures, cum Lucas in plurali loquatur, dicens, & ceteras, quae cum eis erant. Deinde etiam est incertum an illae, quae nominatim exprimuntur, fuerint tres, vel quatuor, vel quinque. Primum, quia non constat, an illa quam Matthaeus vocauit alteram Mariam, sit alia ab ea, quam vocauit Marcus, & Lucas Mariam Iacobi. Verisimilius autem existimo, esse eandem, ut superius dixi. Quia cap. 27. idem Matthaeus cum Maria Magdalena tantum recensuit Mariam Iacobi, quam statim ibi vocauit alteram Mariam. Est igitur ferè euident, eandem referri cap. 28. Rursus dubium est, an Ioanna, & Salome apud Lucam, & Marcum sint distinctae personae, vel potius eadem, quae fortasse erat binomia, probabilius verò est, esse diuersas personas. Vna enim erat vxor Zebedae, altera Chusae, ut dicemus. Illud etiam poterat hic dubitari, an Maria Magdalena, de qua hic loquuntur Euangelistae, sit vna & eadem persona, vel duplex eiusdem nominis. Sed de hoc dicemus in sequenti puncto, quare haec sufficiant de numero harum mulierum.

Quod attinet ad secundum, quae fuerint haec mulieres, omisissis, quarum nomina reticentur, de quibus nihil dici potest: de Ioanna mentionem fecit Lucas capite 8. dicens, fuisse vxorem Chusae, procuratoris Herodis. De Salome vero disputatione 5. sect. 4. ostendimus, esse verisimilius illam esse, quae in Euangelio dicitur mater filiorum Zebedae, ut colligitur ex Marco 15. simul cum Matthaeo 17. & ibidem ostendimus, hanc mulierem nunquam ab Euangelistis vocari Mariam. Rursus de Maria Iacobi in citato loco etiam explicui, quae fuit, & late refutaui sententiam opinantium, hanc, vel illam, quam Matthaeus vocauit alteram Mariam, fuisse Virginem Beatissimam.

Tota ergo difficultas reuocatur ad Mariam Magdalenam, utrum scilicet fuerit illa, quae in Euangelio dicitur soror Marthae, & Lazari: an alia, vel utrum fuerint plures, quae ad monumentum Domini venerunt. Fuit enim aliquorum Patrum sententia, ut Hieron. refert dicta quaest. 4. ad Hedibiam, & Eusebius Caesariensis in epistola ad Marinum non esse eandem Magdalenam, de qua hic loquuntur Euangelistae: quia Matthaeus refert, & idem sentit Marcus, Christum apparuisse Magdalena, quando summo mane profecta est ad monumentum: Ioannes autem dicit post illam apparitionem perstrisse plorantem iuxta monumentum, quae tulerunt Dominum. Ergo haec nondum viderat Christum, sunt ergo diuersae. Et Eusebius addit argumentum: quia Magdalena apud Ioannem non est permessa tangere Christum, cum illi apparuit: apud alios autem Euangelistas permessa est illum tangere cum alijs mulieribus: non est ergo eadem. Deinde Marcus dicens primo apparuisse Magdalena, addidit, de qua elegerat septem demonia, quod non alia ratione fecisse videtur, nisi ut eam distingueret ab alia Magdalena non peccatrice, quae erat soror Lazari. Et ita has duas distinguunt Clemens Papa libro tertio Constitut. capite sexto, Origenes tractat. trigesimo quinto in Matthaeo, & homil. prima in Cantico. ex ijs quae Hieronymus transtulit,

Macar.
Turrianus.
Theoph.
Hieron.
Euthym.

stulit, Chrysostomus homil. sexagesima prima in A
Ioann. & octuagesima prima in Matth. Macarius
Aegyptius hom. duodecima, quem refert Turri-
anus super Clementem, Theophylact. Marc. 14. Hiero-
nym. & Euthym. Matth. 26. qui omnes distinguunt
Magdalenam peccatricem à Maria sorore Lazari, &
quantiuis non dicant, vtriusque fieri mentionem in
apparitione Resurrectionis: sed vel de hoc tace-
ant, vel potius censeant, solam Magdalenam pecca-
tricem esse illam, quæ quæsiuit Dominum in mo-
numento, cuique Christus apparuit. Atque hanc
distinctionem, Magdalene peccatricis à sorore La-
zari probabilem, vel dubiam relinquit Augustinus
tractatu quadragesimo nono in Ioannem. Sunt et-
iam qui præter Mariam sororem Lazari, duas Ma-
gdaenas peccatrices fuisse opinentur, vt refert Eu-
sebius supra, & opinatus est Photius Constantino-
polititanus apud Turrianum supra. Pro qua senten-
tia ex recentioribus scripserunt Iacobus Faber, &
Iodocus Chliffoueus. Sed non est sententia proba-
bilis, neque habet fundamentum in Euangelio, vt
videbimus. Alia vero, quæ distinguit Magdalenam
à Maria sorore Lazari, est fortasse vtrunque proba-
bilis: non est tamen præfenti instituto necessaria, nec
simpliciter vera.

Dicendum itaque primo est, vnam solam esse Ma-
riam Magdalenam, de qua Euangelistæ loquuntur
in apparitionibus Resurrectionis. Hæc est senten-
tia omnium Patrum, & expositorum super Euan-
gelia, & in alijs locis, quæ statim referam: Hierony-
mus autem, & Eusebius licet contrariâ opinionem
referant, non tamen probant. Et probatur de Eu-
angelio Ioannis: nam de cæteris, neque est vlla dif-
ficultas, neque vllus in controuersiam id adduxit.
Et primum, quod Ioannes in suo contextu de vna,
& eadem Maria Magdalena loquatur, patet, quia
cum prius dixisset, Mariam Magdalenam venisse in
monumentum, & viso lapide sublato vocasse Pe-
trum, & Ioannem, eosque venisse, posteaque rece-
fisse, subdit: *Maria autem stabat, &c.* Quibus verbis
manifeste facit relationem ad eam Mariam, de qua
prius meminerat. De qua quoque postea concludit,
Veni Maria Magdalena annuntians Discipulis, &c. Lo-
quitur ergo manifeste de eadem muliere, neque al-
liud fingi potest sine magna æquiuocatione, & cor-
ruptione contextus. Neque contra hoc obstat dif-
ficultas quam supra tetigit Hieronymus. Assumit e-
nim falsum, scilicet Magdalenam in prima profe-
sione ad monumentum, Christum Dominum su-
scitatum vidisse. Id enim neque ex Ioanne, neque ex
alijs Euangelistis colligitur, vt in sequentibus ostē-
demus. Deinde, quod Ioannes de eadem loquatur,
de qua cæteri Euangelistæ, constat primo ex iden-
titate nominis. Hæc enim coniectura non est con-
temnenda, quando nihil est, quod cogat ad distin-
guendas personas, & præsertim in narratione eius-
dem historiae, eodem tempore, & de eodem facto.
Quod autem in præfenti nihil sit, quod cogat, pa-
tet, quia solum potest fieri argumentum supra pro-
positum ex Eusebio. Illud autem facile expedit
Hieronymus dicta quæstione quarta, ad Hedibiam,
& epistola 148. ad Marcellam, & Eusebius supra,
quem refert Anastasius Nicens libro quæstionum
in scripturam quæstione 90. Dicunt igitur, illas duas
apparitiones fuisse diuersas, & in priori reiectam
esse Magdalenam, vt incredulam, seu in fide imper-
fectam: in posteriori verò, vel eandem Magdale-
nam iam in fide corroboratam, vel alias mulieres
iam credentes permissas esse Christum tangere.
Quæ responsio (quod ad fidem historiae attinet) est
verissima, quoad rationem verò, quam reddit de
facto Christi, alia fortasse est magis literalis, quæ o-
mnia in sequentibus latius constabunt. Nulla igitur
est illa coniectura. Aliunde verò, ex contextu so-
annis colligitur, in principio capite vigesimo, aper-

Aug.
Euseb.

Photius
Constant.
Turrian.
Iac. Faber.
Iodoc. Chli.
Hyon.

Ioann. 20.
Maria Mag-
dalena, de
qua in appa-
ritionibus,
resurrectio-
nis Euangelii
loquitur vna
non plures.

Hieron.
Ana. Nicen.

te loqui de prima professione mulierum ad mo-
numentum, de qua loquuntur alii Euangelistæ, vt
supra etiam notauimus. Deinde probabiliter ex
eo colligitur, CHRISTVM primo apparuisse
Magdalene, sicut Marcus affirmat, & infra vide-
bimus: signum ergo est, vtriusque de eadem loqui.

Secundo dicendum est, hanc Mariam Magdale-
nam, cui Christus primo apparuit, fuisse sororem
Lazari. Hanc sententiam existimo longe probabi-
liorem: probanda verò est ex duobus principijs.
Primum est, hanc Magdalenam, cui Christus primo
apparuit, fuisse mulierem peccatricem, quæ illius
pedes vnixerat, Lucæ septimo. Quod Patres colli-
gunt ex illis verbis Marci, *De qua septem demonia eie-
cerat*, per quæ omnia genera peccatorum intelli-
gunt, ita, vt sensus sit, Christum liberasse illam ab
omnibus vitijs, & peccatis, quibus erat irretita, vt
exponit Gregorius homilia 33. in Euangel. Hiero-
nymus in Marcum, qui idem sentit dicta epistola
148. Theophylact. Marci 17. & Lucæ octauo, &
Beda libro quarto, in Marcum, & libro tertio in Lu-
cam capite 29. vbi notat hanc Mariam Magdalenam
cuius etiam fecit mentionem Lucas capite octauo,
esse illam peccatricem, de qua tacito nomine loquitur
idem Lucas capite 7. Dices, ex prædictis verbis
hoc non sufficienter probari: quia ille sensus non
est literalis, sed spiritualis. Neque enim videtur ne-
gandum, quin ille locus ad literam intelligendus
sit de demonibus, qui corporaliter illam vexabant,
sive septenarius numerus propriè, & in rigore su-
matur, siue intelligatur definitus numerus positus
pro indefinito. Nam Lucas capite 8. dicit, *De qua se-
ptem demonia exierant*, cuius verbi vis apertius in-
dicat, vere exiuisse demonia ab illa, maximè quia
Lucas paulo ante narrat, quod sequebantur Chri-
stum mulieres aliquæ, *Quæ erant curata ab spiritibus
malignis*. Quod necesse est, intelligi de liberatione
à vexatione corporali malorum spirituum. Denique
quandocumque in Euangelio narratur, Christum
eiecisse demonem ab aliquo, non refertur verbis
magis proprijs, quam quod expulit demonem. De-
mon enim proprie non significat peccatum: sed spi-
ritum immundum, ergo cum eadem proprietate
sunt intelligenda prædicta verba Marci, cum sermo
sit historicus: & nihil sit, quod ad metaphoricam
interpretationem cogat. Ita exponit Tertullianus
lib. de anima capite 25. vbi cum dixisset plures spi-
ritus, seu demones posse esse intra idem corpus
hominis, exemplum ponit in Magdalena & in Ge-
raseno. Et idem sentit Ambrosius libro de Salom.
cap. 5. vbi recensens Christi miracula, inquit, *Dum
surdus insinuat auditum, dum largum sanguinis fluxum
siccat in Mariba, dum demones pellit ex Maria*. Quem
locum notauit Iansenius cap. 55. Concordiæ, vbi
eandem sententiam docet, quam etiam insinuat
Euthym. & Theophylact. Quæ expositione suppo-
sita, ex eo, quod Christus eiecerit septem demonia
ab hac muliere, non potest colligi, illam fuisse pec-
catricem. Nam (vt inquit Serenus apud Calsian.
collat. 7. cap. 25.) *Corporaliter traditos Satana, etiam
viros sanctos nouimus pro leuissimis quibusque delictis*.
Cuius rei exemplum mirabile refert de Moyse Ab-
bate, cap. 27. vnde concludit cap. 28. *Ex quo manife-
ste perpenditur, non deberi eos abominari, vel despicere, quos
videmus istis nequitia spiritibus tradi*. Ergo non possumus
iudicare, hanc mulierem fuisse peccatricem,
præsertim publicam, & famosam, qualem eam de-
pingit Lucas capite septimo, eo, quod ab ea septem
demonia exierint. Respondeo, argumentum
concludere ex sola scriptura non posse conuinci
hanc Magdalenam (cuius meminit Lucas capite
octauo,) fuisse illam peccatricem mulierem, de
qua loquitur idem ipse capite septimo. Sed ni-
hilominus non solum ex probabili coniectura, sed
etiam ex traditione Ecclesiæ, & communi Patrum
expo-

Gregor.
Hieron.
Theoph.
Beda
Luc. 7. & 8.

Maria Mag-
dalena & de-
monibus li-
berata.

Tertullian.

Ambros.

Iansen.

Euthym.
Theoph.

Cassian.

Luc. 7.

expo-

Expositione dicendum est, esse eandem. Coniectura est. Quia licet interdum permittat Deus, iustum vexari corporaliter à demone: tamen frequentius id fit in penam peccati, & præsertim quando est tam acerba vexatio, ut non solum vni, sed multitudini demonum homo tradatur & huiusmodi censetur ferè semper fuisse illi, quos Christus à demonum vexatione liberabat. Hinc ergo intellectum est hanc feminam referri vexatam à septem, seu multis demonibus propter multa flagitia, quibus implicata fuerat. Intellectum est etiam, non sine mysterio Lucam, & Marcum septenarium numerum demonum indicasse, ut simul alludant ad septem vitia capitalia quibus vniuersitas peccatorum comprehenditur. Atq; ita licet concedamus posteriorem sensum literalem, non tamen excludendum censemus priorem vel simul literalem, vel certè spirituale ab Spiritu Sancto intentum, & à Sanctis Patribus explicatum, & ab Ecclesia susceptum, quæ in officio Magdalene sic canit.

*Lauda mater Ecclesiam,
Lauda Christi clementiam.
Qui septem purgat vitia,
Per septiformem gratiam.*

Postea verò in eodè hymno dicitur, hanc mulierem fuisse illam peccatricem, quæ vnxit pedes Domini: & ita simul constat hanc esse Ecclesiam opinionem. Quam esse traditam à Sanctis Patribus ex ijs, quæ adduximus in priori sensu verborum Marci constat.

Secundum principium est, mulierem illam peccatricem, quæ Luc. 7. vnxit pedes Domini, & capillis suis terxit, fuisse Mariam sororem Lazari. Hoc videtur aperte probari ex Ioan. 11. cap. vbi loquens de Maria sorore Lazari interponit hæc verba: *Maria autem erat, quæ vnxit pedes Domini, & terxit capillis suis.* Ut enim notauit August. lib. 2. de consens. Euangel. cap. 79. aperte loquitur Ioannes de vnctione Domini facta in domo Pharisæi, quam refert Lucas ca. 7. Quia non potest loqui de alia, quæ facta est paulo ante passionem, quam idem Ioannes. refert capit. 12. Illa enim facta est post Lazarum mortuum & suscitatum, hæc vero antea facta refertur. Et eadem ratione non potest loqui Ioannes de alia vnctione, quam referunt Matth. c. 26. & Marc. 14. Nam hæc vix est eadem cum illa, quæ narratur Ioannis 12. capit. vel posterior illa, vt dicemus. Respondendi verò potest, Ioannem loquutum esse in illo cap. 11. per anticipationem de illa vt præterita respectu temporis, in quo scribebat nõ vero respectu temporis, in quo res gesta est, quam narrare incipiebat. Ita elusit hoc testimoniũ Iacobus Faber, & probat Iansenius c. 48. quamuis alias à Fabri sententia ei spondeat. Sed nihilominus verba Ioannis non parum vrgent. Primo quia notarunt ij, qui accurate Ioannem exposuerunt, illum semper obseruare seriem historiarum, & nunquam narrare vt præterita ea, quæ postea sunt gesta. Vnde, cum alij Euangelistæ mentionem facientes de Iuda, addere soleant, qui tradidit eum, etiam si ante tempus passionis loquantur. Ioannes tamen semper dicit qui erat eum traditurus: Secundo quia (vt Caiet. argumentatur) nulla erat ibi occasio anticipandi historiam capite sequenti referendam. Quia iam satis constabat, de qua Maria loqueretur, scilicet de sorore Lazari, & Martha. Ergo ne frustra fecerit mentionem illius vnctionis, dicendum certe est, non illi loquutum de vnctione, quæ postea narrata est, sed de alia, quæ præcesserat. Tercio in ipsis verbis indicat non obscure voluisse attingere historiam, quam Lucas fuisse narrauerat, quæ quo eo tempore, quo Ioannes scribebat, iam erat satis nota fidelibus: quia vero Lucas non expresse rat nomen illius mulieris, hoc ipsum addere voluisse. Quarto recte aduertit Iansenius, ex ijs verbis Ioan-

nis colligi solam hanc Mariam vnxisse pedes Christi, & capillis capitis suis terxisse. Quia si plures hoc fecissent, non satis indicasset Ioannes mulierem, de qua loquebatur. Quinto, hanc sententiam Ecclesia amplectens est in prædicto hymno dicens,

*Maria soror Lazari,
Quæ tot commisit crimina.
Ab ipsa sauce Tartari
Venit, ad vite limina,
Aegra currit ad medicum,
Vas ferens aromaticum.*

Et in toto officio illius diei sæpe hoc repetitur. Sexto hæc est sententia, multorum Patrum, Augustini supra, & Gregor. hom. 25. & 33. in Euangelia, & lib. 6. epistol. cap. 186. epistola 22. Bedæ lib. 3. in Lucam, cap. 28. Innocen. lib. 2. de mysterijs, capit. 57. Idem sentit Ambros. dicto libro de Salomone c. 5. quamuis lib. 7. in Lucam, circa hoc dubium esse videatur. Et in eadem sententia est Origenes in homilia celebri de Maria Magdalena.

Ex his ergo concluditur assertio posita. Illa enim Maria Magdalena, cui Christus apparuit post resurrectionem, fuit illa peccatrix, quæ vnxit pedes eius: sed illa eadem fuit soror Lazari, ergo illa, cui Christus apparuit, fuit Maria soror Lazari. Et confirmari potest. Nam eadem Maria fuit, quæ venit summo mane ad monumentum, & cui Christus paulo post primo apparuit, vt constat ex Ioannis 20. sed illa quæ iuit ad monumentum ad vngendum corpus Domini, fuit Maria soror Lazari: ergo illa eadem est, cui primò Christus apparuit. Minor colligi potest ex illis verbis Ioannis 12. *Sinite illam* (id est, Mariam sororem Lazari) *vt in diem sepultura mee seruet illud.* Quibus verbis indicauit Christus, illam Mariam aliquando desideraturam vngere corpus suum sepulcrum, & tunc fecisse, quod postea futurum non erat in ipsius potestate. Confirmatur secundo ex Ecclesiæ autoritate, quæ idem affirmat in prædicto hymno dicens.

*Surgente cum victoria
Iesum videt ab inferis,
Prima meretur gaudia
Quæ plus amabat ceteris.*

Et idem affirmant Patres paulo ante citati, & in sequenti illatione amplius confirmabitur.

Ex dictis inferitur, vnam, & eandem esse mulierem quæ in Euangelio (tacito nomine) dicitur vnxisse Christum viuentem, & quæ alibi vocatur Maria Magdalena, à qua Dominus septem demonia eiecit, alibi vero dicitur Maria soror Lazari. Hoc sequitur euidenter ex dictis. Ostendimus enim in omnibus illis locis Euangelij de eadem persona esse sermonem: & hoc planè proficitur Ecclesia in prædicto officio de Maria Magdalena. Quod argumentum (vt bene notauit Roffensis in opusculo, quod edidit in defensionem huius sententiæ) optimè roboratur ex verbis Christi Matth. 26. & Marci 14. *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo diceretur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Vbi Christus prædicat eam mulierem prædicandam, & laudandam semper fore in Ecclesia propter illud factum: sed Ecclesia tribuit illud factum peccatrici mulieri, de qua septem demonia exierunt: ergo illa eadem est soror Lazari. Præterea accedit coniectura, nam de peccatrice illa, cuius nomen reticetur, dixit Christus, *quoniam dilexit multum.* Luc. 7. de Maria verò sorore Lazari, quod optimam partem elegit, id est, eiusdem Christi amorem, quo fruebatur, & in eo crescebat, quando sedens secus pedes eius audiebat verbum illius. Illa vero Maria

Zz 4

Magda-

*Homines vix
xari à Deo
mone cur
permittit
Deum.*

*Mulier peccatrix, quæ
in Pharisæi
domo Christi
pedes vnxit,
Maria soror Lazari.*

*Matth. 26.
Marc. 14.*

*Euan. Iacob Fab.
Iansen.
Responsio.*

Caietani.

*August.
Greg.
Beda
Ambros.
Innocen.
Orig.*

*Maria Magdalena cui
Christus apparuit
post resurrectionem.*

Ioan. 20.

Ioan. 12.

Hymn. Beth.

*Maria Magdalena soror
Lazari quæ*

*Roffens.
Matth. 26.
Marc. 14.*

Luc. 7.

Luc. 10.

Hijz Ech.

Titulus in
sepulchro
Magdalene
in scriptus.

Segeberti

Hieron.

Bernard.
Beda
Rupert.
D. Thom.

Roma 1.

1. Obiectio.

Secunda.

Tertia.
Matth. 27.
Marc. 15.

Ioann. 11.

Epiphanius.
Presbyt.
Turrianus.Quarta.
Matth. 16.
Marc. 14.
Ioann. 12.Responsio
ad primam
objectionem.

Magdalena, à qua septem demonia exierant, hoc Christi amore flagrans ad monumentum ibat, redibatq; stabat ac flebat ob illius desiderium. Propter quod (vt Ecclesia canit) Prima meruit gaudia, quæ plus amabat ceteris. Ergo signum est, fuisse hanc vnam, & eandem personam. Tandem fauent antiqua historia traditione Maiorum recepta apud Mafsilienfes, apud quos Maria soror Lazari cum fratribus suis vixisse fertur vsque ad mortem, & in sepulchro eius inscriptum esse dicitur, fuisse mulierem illam peccatricem, quæ postea sedit plorans ad sepulchrum Domini. Et hoc creditur fuisse scriptum iussu Maximi vnius ex septuaginta discipulis, qui fuit comes Lazari, & sororum eius, vt refert Segebertus in libro de vna Magdalena, quem ante quingentos annos scripsit. Et hæc est sententia omnium Patrum, quos paulo ante retuli. Quibus addi potest Hieronymus epistol. 150. ad quartam questionem, quatenus dicit, in Euangelio quatuor Marias tantum reperiri Vna est mater Domini, altera Maria Iacobi, & Ioseph, tertia Maria Cleophae, quarta Maria Magdalena. Oportuisset autem addere quintam, si Maria soror Lazari esset distincta à Magdalena. Et in proemio super Oseam, dicit, eandem esse mulierem peccatricem, quæ vnxit pedes Domini, & pro qua Dominus respondit proditori aduersuseam murmuranti. Bern. ser. de Maria Magdalena, Beda & Rupert. Ioan. 11. & sanctus Thom. & ferè omnes alij catholici expositores.

At rationem dubitandi, sumptam ex verbis Marci respondetur, Marcum non addidisse illa verba, De qua septem demonia eiecerat, vt hanc Mariam Magdalenam ab alia femina eiusdem nominis distingueret: sed, vt narraret aliquid, quod à Mattheo fuerat prætermisum: itemque vt efficaciam gratiæ Christi commendaret. Quia vbi abundauerat delictum, tanta super abundauit & gratia, vt illa peccatrix mulier prima esse meruerit, quæ Christum resurgentem vidit.

Solent tamen nonnulla contra propositam sententiam obijci, quæ breuiter proponere oportet, & expedire. Primum est, quia non videtur credibile, Mariam sororem Lazari foeminam nobilem & honoratam (vt ex Ioann. 11. colligitur) fuisse publicam meretricem, aut famosam peccatricem, cuius historia narratur Luc. 7. Secunda est, quia difficile etiam creditur est, Christum admisisse ad tantam amicitiam, & familiaritatem famosam mulierem peccatricem. Tertia, quia Maria Magdalena, de qua fit mentio Luc. 8. erat Galilæa, vt ex Matth. 27. & Marc. 15. colligitur, illis verbis, Erant autem ibi mulieres, quæ sequuta erant Iesum à Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, &c. At vero Maria soror Lazari erat ex Bethania prope Ierusalem, vt patet Ioan. 11. Vnde hæc soror Lazari, nunquam in Euangelio vocatur Magdalena, sed tantum Maria: alia verò Galilæa vocatur Maria Magdalena, & creditur sic nominata à Magdalo, seu Magda ciuitate Galilææ. Sic enim refert Epiphanius Presbyter in vita virginis Mariæ, Christum in ciuitate Magda exceptum fuisse à Maria muliere diuite, & nobili, vt Turrianus commemorat super citatum locum Clementis. Quarta, quia mulier quæ Matth. 26. & Marc. 14. vnxit Christum, non potuit esse Maria soror Lazari, quæ vnxit illum Ioann. 12. Quia hæc vnxit Christum in domo sua, vel fratris sui, vt colligitur ex eo, quod Martha in illa cœna ministrabat: non est autem credibile ministrasse in aliena domo: alia verò mulier vnxit Christum in domo Simonis leprosi. Deinde Maria vnxit pedes, illa caput, Rursus Maria ante Iesum dies Paschæ, alia biduo ante Pascha.

Ad primam in primis dicitur, argumentum commune esse vtrique sententiæ. Nam etiam illi, qui putant, Mariam peccatricem fuisse à Galilæa, referunt fuisse diuitem & nobilem, vt paulò ante dicebam.

Deinde nihil est, quod nos cogat fateri, Lazari familiam fuisse valde nobilem, ac locupletem. Omnia enim (quæ narratur Ioan. 11.) potuerunt accidere in personis mediocri status, & conditionis. Ad hæc, neque est nouum, neque inusitatum, interdum nobiles foeminas esse infames, & impudicissimas, de qua re possent multa ex historijs referri: sed non oportet in hoc immorari. Tandem, non est cur existimemus, Magdalenam fuisse publicam meretricem, seu scortum. Quod enim Luc. 7. dicitur, Quæ erat in ciuitate peccatrix, non est ita accipiendum, vt sit sensus, in tota ciuitate habitam fuisse, & existima tam peccatricem: sed solum mulierem quandam peccatricem, quæ in illa ciuitate aderat, & accessisse ad vngendum Christum, sic enim ad literam habent Græca. Et ecce mulier exiens in illa ciuitate, quæ erat peccatrix. Exijs ergo verbis non potest colligi, fuisse publicum scortum: sed ad summum fuisse iuxta suum statum, & conditionem impudicam, nimiumq; delictijs deditam.

Ad secundam ferè respondit Christus Phariseo dicenti. Hic fuisse Prophetas, sciret, quæ, & qualis sit mulier, quæ tangit pedes eius, quia peccatrix est. Itaque Christus non admisit illam nisi post insignem, ac publicam penitentiam, vitæque emendationem. Vnde bene notat Iansenius, cap. 55. ex Rosensio, illam foeminam paulatim fuisse à Christo, & malis liberatam & cumulatam bonis. Cum enim esset à Demonibus obsessa prius corporaliter liberata est ab eorum vexatione, & deinde cepit peccata sua agnoscere, & lachrymis delere, & tunc accessit ad Christum publica præbens penitentiam, charitatis, & gratitudinis signa: postea verò impetrata criminum venia Christo adhæsit, eumq; sequuta est, opes suas in eius obsequium impendens. Ac tandem post magnam veteris vitæ mutationem, & sanctitatis studium merito insignia beneficia, & singularis amoris signa à Christo accepit.

Ad tertiam respondetur, ex Marco, & Mattheo solum posse colligi, Magdalenam fuisse in Galilæa, quando Christus ibi prædicabat, eique ministrasse. Vnde non fit, illam fuisse Galilæam. Quamquam enim fuerit in Bethania orta, potuit varijs ex causis in Galilæam migrare. Primum, desiderio videndi Christum, & maxime vt à Demonibus, à quibus vexabatur, eius virtute liberaretur. Deinde, quia propter liberè viuendi licentiam, fortasse propria domo relicta, in Galilæam diuenerat. Denique Iansenius capite 55. Concordiæ, & Ioannes Suarez, tractat. 97. in Lucam referunt, Magdalenam nupsisse in Galilæa viro, cuius erat Castellum nomine Magdalum, indeque cognomen accepisse: postea verò, facto diuortio, in eadem prouincia vixisse liberius, donec in aliqua ciuitate eiusdem prouinciæ (vt ex Luc. 7. colligitur) à Christo corpore, & animo sanata est: quem postea in Iudæam est sequuta, fratribusq; suis reddidit familiarem: quæ omnia Ioannes Suarez refert, se legisse in Bethlehem, in quadam historia antiqua, quam Christiani, & religiosi ibi habitantes, ex maiorum traditione, veram esse asseuerabant.

Ad quartam in primis licet omnia concedamus, quæ in illa sumuntur, solum concludunt, illas vñctiones fuisse diuersas: non tamen mulierem, quæ Christum vnxit. Constat enim vñctiones (quæ referuntur Luc. 7. & Ioann. 12.) fuisse distinctas: atqui nos ostendimus, eandem esse mulierem, quæ vtrouque Christum vnxit, sicut ergo bis vnxit, potuit etiam ter, prout Innocentius citato loco opinatur. Secundo dicitur, nihil esse, quod nos cogat, vt fateamur, illas vñctiones fuisse diuersas: quin potius verisimilius est fuisse eandem, vt alij authores supracitati pro nostra sententia docent. Patetque ex magna conuenientia ferè in omnibus circumstantijs. V. traque enim facta est in Bethania, prope Pascha: & in v.

Ioann. 11.

Maria Magdalena fuisse scortum, & condictio.

Ad 1.

Luc. 7.

Iansen.

Rosens.

Ad tertiam.

Iansen.

Ioann. Suarez.

Luc. 7.

Luc. 7.

Ioann. 11.

Cœna in Bethania à Christo ante passionem inita, quæ & quatuor.

V. traque.

in v.

in vtraque indignati sunt discipuli , & fere eisdem
verbis a Christo sunt reprehensi , quod non est veri-
fimumile , bis tam breui tempore accidisse . Neque diuer-
fitas , quæ est in narratione , satis indicat rei diuer-
sitatem . Nam , quod ad domum attinet , potuit esse ea-
dem domus Simonis , & Lazari , præsertim si verum
est , quod refert Nicephorus lib. 1. cap. 27. Simonem
fuisse patrem Lazari . Et licet demus , domum fuisse
distinctam , potuit esse tam vicina , & Simon ipse
tam familiaris , & confanguineus Marthæ , & Mariæ ,
vt in ea Martha ministraret : præsertim cum non
tam propter necessitatem , quam propter amorem ,
& deuotionem ministraret . Deinde , quod vnus Eu-
angelista refert , Mariam vnxisse pedes , alius caput ,
non sunt contraria : potuit enim vtrumque fieri , &
vnus referre , quod alter omiserat . Et ita verisimile
est (quod Augustinus notauit libro 2. de consen. Eu-
angelistarum , cap. 79.) prius copiose vnxisse , & ter-
fisse pedes , postea vero *fracto alabaastro* (vt Marcus di-
cit) quod reliquum erat super caput effudisse . Nec
disimile est , quod Matthæus , & Marcus generaliter
dicunt , discipulos fuisse indignatos . Ioannes autem
solum Iudæ hoc attribuit . Nam præterquam quod
(iuxta Scripturæ phrasim) potuit à Matthæo &
Marco plurale pro singulari poni : fieri etiam po-
test , vt Iudas murmurare inceperit : postea vero a-
lij eum sint imitati , vt notant Augustinus , Hiero-
nymus , & Chrysostomus super hæc loca . Tandem
in scribendo tempore , seu die huius vnctionis Ioan-
nes (vt de more cum habere diximus) ordinem hi-
storiarum tenuit , & ita reuera illa vnctio ante festi-
dium Paschæ facta est : alij autem Euangelistæ , nunquam
dixerunt , esse factam biديو ante Pascha : sed cum di-
xissent , illo biديو ante Pascha fuisse sacerdotem , &
scribas congregatos , vt Christum comprehende-
rent : volentes explicare nouam occasionem , quam
illis diebus habuerant ex indignatione , & traditio-
ne Iudæ , per recapitulationem inferuerunt hanc hi-
storiam , quæ paulo ante præcesserat , quoniam ex ea
sumpti Iudas occasionem vendendi Christum . Est
igitur verius , vnctionem fuisse eandem : certius-
que est , vnam tantum fuisse Mariam Magdalenam
propterea Lazari , cui Christus primo suscitatus appa-
ruit .

SECTIO III.

*Quo ordine, & modo Christus suscitatus Mariæ Ma-
gdalenæ, & aliis mulieribus apparuerit.*

DVo sunt, quæ in hac re explicanda difficultatem habent. Primum est, an Christus primo apparuerit soli Magdalenz, vel simul cum cæteris mulieribus. Ratio dubitandi est, quia hoc posterius multum infirmatur Matthæa. vltimo, vbi dicitur, Magdaleham cum altera Maria venisse in sepulchrum, & statim subditur, *Et ecce terremoto factus est magnus, vbi illa particula, & ecce, aperte significat statim in ipso primo accessu mulierum hoc accidisse.* Et paulo inferius eodem contextu, & narrationis serie, dicitur, *Et ecce Iesus occurrit illis.* Et confirmatur. Nam licet Ioannes solius Magdalenz mentionem faciat, tamen non excludit alias mulieres: quin potius, si illa narratio cum alijs Euangelistis conferatur, non videntur potuisse abesse aliæ mulieres à monumento. Quia post illam apparitionem redibant simul omnes illæ femine. Vnde Augustin. libro tertio de consens. Euangelistar. capite vicesimo quarto, affirmans apparitionem illam, quam narrat Ioannes, fuisse omnium primam, dicit ibi affuisse omnes feminas. E contra autem Hieronym. quæstion. 5. ad Hedibiam existimat quidem, primam apparitionem omnibus esse factam, hanc tamen esse, quam narrat Matthæa, & idem sentit Theophylact. Matthæi.

A 28. & Euthym. capit. 68. super Matthæ. & capite 48. super Marcum, & addit, Marcum, cum dicit, primo apparuisse Mariæ Magdalene, non excludere alias, sed subintelligere potius. *Frequentius enim (inquit) in v-
su est. apud Evangelistas per personam, quæ insignior est, eam
etiam intelligere, quæ minus nota est.* Et hinc infinuat
secunda dubitatio proposita, scilicet, an Chri-
stus bis apparuerit Magdalene, semel illi soli iuxta
sepulchrum, & iterum in via simul cum alijs mulie-
ribus. Nam quod ita factum sit, indicant Matthæ-
us, & Ioannes. Alii unde verò obstat. Nam quæro,
quænam harum apparitionum fuerit prior? Si illa,
quam Matthæus narrat, factam esse mulieribus in
via, quomodo postea Magdalena plorabat iuxta se-
pulchrum eo, quod corpus Domini esset sublatum?
Si vero fuit prior ea, quam narrat Ioannes, quo-
modo postea ibat Magdalena cum alijs mulieri-
bus, cum iam sola mansisset? Quomodo etiam per-
missa est tangere, quod illi parum ante negatum e-
rat?

Euthym.

Maria Ma-
gdalena post
resurrectionē
primo omni-
um Christi
apparuit.

Dicendum tamen est primò, Christum Dominum primò apparuisse soli Magdalene, non solum ante alios Discipulos; sed etiam ante alias fœminas. Hæc est communis sententia Sanctorum ferè omnium, quos reguli in præcedenti Sectione; & Ecclesiæ, quæ sic canit de Maria Magdalena.

Prima meretur gaudia,
Que plus amabat ceteris.

Et merito verba Marci ita intellecta sunt. Vix enim clarius potuit id asserere. Postquam enim de mulieribus sermonem fecit: & narravit ea, & quæ eis simul acciderunt, sermonem convertit ad solam Magdalenam, dicens, illi *primo* apparuisse. Et huic consonat narratio Ioannis, qui ex professo refert, hanc apparitionem factam soli Mariæ Magdalene, quando alij abeuntibus ipsa *sabat ad monumentum foris* *plorans*. Vt autem hoc apertius comprobetur, explicemus ordinem, quo, iuxta contextum omnium Evangelistarum, intelligi potest hoc accidisse.

Primo enim omnes illæ sœminæ venerunt simul ad monumentum, audierunt terramotum, viderunt lapidem sublatum. An vero tunc omnes illæ Angelos viderint, & audierint definiri non facile potest. Quia (¶ Ioannes narrat) postquam Magdalena vidit lapidem sublatum cûcurrat ad Petrum, & Ioannem dicens, Tulerunt Dominum, & nescimus, ubi posuerunt eum. Si autem iam vidisset Angelos annuntiantes eum vivere, potius hæc Apostolis narraret. Quapropter Augustinus libro tertio de consensu Evangelistarum, cap. 24. significat, Magdalenam tunc nec vidisse, nec audivisse Angelos: sic enim ait. *Ut vidit lapidem sublatum à monumento, & sequam aliquid diligentius inspicere, non dubitans ablatum inde esse corpus Iesu, cûcurrat, (sic dicit idem Ioannes) & nuntiavit Petro, atque ipsi Ioanni. Idem sentit Chrys. homilia 84. in Ioann. illis verbis. Neque intrauit, neque introspexit. Quod si verum est, facile expeditur secunda difficultas posita.*

E Oritur vero alia non minor, quando scilicet intelligendum fit, apparuisse, & loquutum fuisse cum mulieribus Angelum illum, cuius Marcus, & Matthæus meminerunt, vel duos, de quibus scribit Lucas. Nam si dicamus, solam Magdalenam cucurrisse ad nuntiandum Petro, & Ioanni: alias vero feminas interim ingressas esse sepulchrum, & vidisse, atque audiuisse Angelos, obstat euidenter Lucas Evangelista, qui, postquam narravit hanc apparitionem Angelorum, & cætera, quæ acciderant mulieribus, protinus subdit: *Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc: Cum quo consonant Matthæus & Marcus. Nam cum di-*

Eurhymē

Maria Ma-
gdalena post
resurrectionē
primo omni-
um Christus
apparet.

Нум. Евр.
Marc. 16.

Ioann. 20.

Ioann 20.

August,

Chrysof:

Enc. 24-3

- Matth. 28;
 - Marc. 16;

xiffent, venisse Magdalenam, & alias fœminas, semper in sequentibus de eis loquuntur, dicentes. *Videntur inuenire*, qui dicit illis: at illæ exeunt, fugerunt. Quæ omnia ad omnes fœminas, prius nominatas, aptè referuntur, si autem dicamus, omnes illas fœminas viso lapide subdito statim rediisse ad Apostolos, & non vidisse Angelos, donec postea reuerſæ cum Petro, & Ioanne iterum manserunt circa sepulchrum, quando abeuntibus Petro, & Ioanne Maria remanet plorans; (quem modum Augustinus supra significat.) Contra hoc etiam obstat, quia tunc Maria remanet sola, & vidit Dominum: at verò apparuit Angelorum, quam narrat alijs Euangelistæ, euidenter facta est ante omnem Christi apparitionem, ut ex verbis ipsorum Angelorum constat.

Circa hoc, Augustinus significat, abeuntibus Petro, & Ioanne non mansisse solam Magdalenam: sed cum aliis mulieribus, & tunc eis apparuisse Angelos, quorum fit mēto tum à Ioanne, tum à reliquis Evangelistis. Vnde etiam sentit, quando Christus primò apparuit Mariæ Magdalena, ibi fuisse alias feminas. Loquens enim de Magdalena, quæ iam viderat Dominum, cum eoque sermonem habuerat, subdit, *Tunc egressa est à monumento, hoc est ab illo loco ubi erat hori spatium ante lapidem effossum, & cum illa aliæ, quas secundum Marcum inuaserat tremor, & pavor.* Dici vero potest, Christum apparuisse Magdalena, præsentibus aliis mulieribus illis nihil videntibus. Sed hoc difficile creditu est. Nam licet corpus gloriosum tantum videatur, à quibus vult, tamen verba Magdalena, & externus motus, quo procidit ante Christum, ut pedes eius complecteretur, quando ei Christus dixit, *Noli me tangere*, hæc, inquam, sine speciali miraculo non poterant latere alias mulieres. Deinde ex mutuo sermone inter Christum, & Magdalenam non obscure colligitur, illam tunc fuisse solam. Evidem videtur de apparitione Angelorum facta Magdalena, quam narrat Ioannes. Dixerunt enim illi, *Mulier quid ploras? Illa vero respondit. Tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum.* Vbi iam non in plurali loquitur, sicut Apostolis dixerat, *Nescimus*, sed in singulari, *nescio*, quia sola aderat, & similiter dixit ad Christum, *Dicite mihi, & ego eum tollam.*

Quidam igitur ex recentioribus, sequentes Augustinum in eo, quod asserit Magdalenam, visio lapide sublati, reuersam esse ante visionem Angelique, dicunt Magdalenam non affuisse, quando fœminæ viderunt Angelum sedentem, super lapidem (vt narrat Mattheus) neque quando introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, vt narrat Marcus. Itaque iuxta hanc sententiam, cum primum mulieres peruenerunt ad monumentum, & viderunt lapidem sublatum, Magdalena sola cucurrit ad Apostolos: aliæ vero iuxta sepulchrum manserunt: & interim prædictos Angelos viderunt, & timore percussæ exierunt monumento. Quo tempore ad illud peruenerunt Petrus, & Ioannes vna cum Magdalena, & acciderunt, quæ Ioannes narrat, quæ postea texemus. Quæ sententia quoad hanc partem est probabilis. Quia nihil est in Euangelio quod ei repugnet aperte: tamen non est necessaria, neque habet fundamentum in Euangelio. Primum quia sicut Ioannes narrans reditum solius Magdalene ad Apostolos, illam tantum nominat: ita etiam narrando primam professionem ad sepulchrum, illius tantum meminit: sed, hinc non rectè colligitur, illam solam iussisse ad sepulchrum: ergo neque potest colligi, illam solam rediisse ad Apostolos. Deinde (vt demus solam rediisse) vnde constat, reliquas fœminas interim Angelos vidisse? Fieri enim potuit, vt peruenerant circa monumentum solum expectando reditum Magdalene.

Vnde facile excogitari potest alia series huius hi-

florix, ſequendo etiam Auguſtinum dicentem quando Magdalena venit ad Apoſtolos, nondum vidſſe Angelos, ſimulque aſſerendo, vel cum illa rediſſe cæteras fœminas, vel certè eius reditum exſpectaſſe propè monumentum, atque interim nihil vidſſe. Poſtquam vero Petrus, & Ioannes venerunt ad monumentum, & omnia inſpexerunt, ac reuerſi ſunt manſiſſe ibi Magdalenam cum cæteris fœminis, adque tunc omnes vidſſe Angelum ſedentem ſuper lapidem, & ingreſſas in monumentum vidſſe iuuenem ſedentem in dextris. Poſtea vero magno tremore, ac pauore percuſſas egreſſas eſſe, ac cæteras quidem longius à ſepulchro auſugſſe: Magdalenam verò amore timorem vicſſe, ac iuxta ſepulchrum perſeueratſe, ac tunc accidiſſe, quòd Ioannes narrat. *Maria ſtat ad monumentum ſoris plorans.* Contra hunc enim ordinem nihil aſſerri poſteſt, & per ſe veriſimile eſt, potuiſſe ita accidere: & alioque melius ac proprius texitur verba Marci, & Matthæi, qui de omnibus mulieribus, quarum in principio mentionem fecerant, narrant totum illud factum, & viſionem ac locutionem Angelorum. Ac ſimiliter, quæ Lucas narrat, melius hoc modo accommodantur, vt infra dicam. Tandem iuxta hanc ſeriem hiſtoriæ facile intelligitur, quomodo Chriſtus apparuerit primò ſoli Magdalene in ſpecie hortulani vt Ioannes refert. Cum enim (vt diximus) aliæ mulieres egreſſæ de monumento præ timore diffuſiſſent, Magdalena verò ſtatim iuxta ſepulchrum ſetiſſet, & ſeuerum ad luſtrandum ſepulchrum inclinaſſet, vider duos Angelos, deinde Chriſtum, vt Ioannes narrat, & forſatſe, hoc voluit indicare Marcus, quando poſt narratam fugam mulierum de monumento cum pauore, & timore, proximè ſubiungit, *Surgens autem Jeſus mane primò apparuit Maria Magdalene.*

Hinc verò vterius addo, nihil esse, quod nos cogat, vt dicamus, Mariam Magdalenam rediisse ad Apostolos ante conspectos Angelos. Fieri enim potuit, vt omnia quæ Marth. & Marc. narrant vsque ad visionem Angelorum, prius facta sint, & postea cucurrerit ad Apostolos nuntiatura, quæ viderat, ac deinde redierit cum Apostolis ad sepulchrum, eis recedentibus, & cum eis abeuntibus alijs mulieribus, ipsa sola permanferit, videritque Dominum, quem ordinem sequi videtur Tarianus Alexan. in Harmonia Euang. Neque contra hoc obstat, quod Magdalenam dixerit Apostolis, *Tulerunt Dominum*. Nam etiam ipsi Angelis, quando secundo ei apparuerunt (vt probabilius credimus) dixit, *Tulerunt Dominum meum*: imò & ipsi Christo, quem post Angelos vidit, antequam illum agnosceret, dixit, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam*. Rectè ergo quoad hanc partem dixit Hieronymus, *Magdalenam ob stupescientiam in tantum torpuisse, vt ne Angelorum quidem presentium sentiret aspectum, cumq; videret Angelos, etiam, quos videbat, ignoraret*. Non ergo cognouit esse Angelos, neque eis fidem adhibuit, vel saltem non firmam, & stabilem: sed admodum vacillantem, vel potius ab eis decipi timuit, ideoque dicere potuit, *Tulerunt Dominum meum*: vix enim sciebat, quid diceret. Sed instabis: Si viderat Angelos, cur non id narrauit Apostolis? Respondetur: Cur non id narrauit vidisse lapidem sublatum, vel potius, vnde constat, non vtrumque narrasse? Ioannes enim refert quidem dixisse, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, vbi posuerunt eum*. An verò plura dixerit, tacet quidem Euangelista, non tamen negat. Quocumq; ergo ex ijs modis rectè intelligitur quomodo absque discordia Euangelistarum poterit CHRISTVS primo apparere soli Mariæ Magdalenæ seorsum ab alijs mulieribus. Alia verò difficultas, quæ hic suboritur ex alia apparitione, quam Matthæ. narrat, in sequenti conclusione tractabitur.

Dicen-

In die resur-
rectionis una
et alius fa-
ctus Mag-
dalena Chri-
sti apparet.
August.
Hieron.
Euthym.
Theophyl.
Chrysost.
Tatian.
Dried.
Matth. 2.

Dicendum est secundò, Christum eo die iterum apparuisse Magdalene simul cum alijs mulieribus. in hac conclusione conveniunt omnes antiqui expositores, August. Hieronym. & Euthy. supra citati, & Theophylact. supra. Insinuat Chrysost. hom. 90. in Matthæ. Tatianus in Harmonia, Driedo libro tertio de dogmatibus Sacre Scripturæ tract. 3. capite quarto, præsertim quoad eam partem, quæ asserit in ea Christi apparitione, quam Matthæ. narrat factam esse mulieribus, inuentam esse Magdalenam, quoniam Matth. satis apertè id indicare videtur. Eodem enim contextu, & eisdem referens mulieres, dicit. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens, Aue: illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Nam relatiuum illæ, & illæ, easdem feminas refert, de quibus à principio capitis sermonem habet. Ex hac verò parte necessario sequitur (suppositis ijs, quæ dicta sunt in prima conclusione) eodem die, atque intra breue spacium temporis, bis Christum apparuisse Mariæ Magdalene. Quod vero prius soli apparuit, quam simul cum alijs feminis, primo probatur testimonio Marci supra tractato, & ex omnibus adductis in præcedenti conclusione. Secundo conuincitur alio argumento supra facto, scilicet, quia si Magdalena prius vidisset Christum cum alijs mulieribus, non steterit postea iuxta monumentum plorans, ac dicens, Tulerunt Dominum meum. Nam licet Hieronymus supra respondeat, potuisse Magdalenam hæc dicere præ nimia turbatione, etiam si iam Christum vidisset: tamen reuera hoc non est credibile. Quia Christi præsentia omnem mororera, perturbationemque Magdalene abstulerat. Item quia non erat ita perturbata, quin esset sui compos, & ratione perfecte vteretur: ergo, si semel vidit, sibi que persuasit, esse Christum, quem conspicebat viuum, ac resuscitatum, non poterat postea corpus eius mortuum querere, ac lamentari. Tertio probatur, declarando seriem historię, atque harum apparitionum ordinem. Nam postquam Magdalena vidit Dominum in specie hortulani, & ab eo iussa est ire nuntiaturum discipulis, quæ viderat, summo gaudio affecta diligentissimè iter arripuit atque ita facillè fieri potuit, ut ad alias mulieres breui perueniret. Verisimile enim est, illas tum ob animi turbationem, & mororem, tum etiam ob desiderium sciendi quid accidisset, lentè incesisse. Postquam ergo eas Magdalena conseruita est, cœpit simul cum eis progredi, & foras de his, quæ viderat, colloqui, & tunc iterum apparuit eis Christus in via, ut Matth. narrat. Igitur cum hoc modo omnia, quæ Euangelistæ narrant, facillè in concordiam redigantur, & per se constet, facillè potuisse ita accidere, & omnes alij modi magnas difficultates pariantur, merito hunc cæteris perferendum censuimus.

Matth. 28.

a. Dubium.

Ioan. 20.

Dux verò graues difficultates supersunt in hac sententia explicandæ. Prior est, quia in priori apparitione facta soli Magdalene fuit prohibita tangere pedes Christi, illis verbis, Noli me tangere, nondum enim ascendis ad Patrem meum: at in apparitione facta mulieribus Christus permittit eis, ut accederent, tenerentque pedes eius, ut Matth. narrat: ergo non est verisimile inter eas affuisse Magdalenam. Curenim permittit fuisse tangere, quæ paulo ante fuerat prohibita? Hæc difficultas ferè communis est in omni sententia. Nam licet daremus Magdalenam non affuisse in secunda apparitione, eodem modo inquiri posset, cur ipsa non fuit permittita tangere, alix vero admittæ sint, cum nec maiori fide, aut reuerentia, & charitate accederent, cumque etiam ille missæ fuerint ad annuntiandum discipulis resurrectionem, sicut Magdalena? ut ergo radicem huius difficultatis aperiamus, & expediāmus, explicanda in primis est ratio illa, quam reddidit Christus repellens Magdalenam à suo contractu. Nondum enim ascendis ad Patrem. Quæ ratio difficillima est. Nam

potius, quia nondum ascenderat, tangi poterat, sicut ab alijs discipulis postea contræctatus est: & si iam ascendisset, contingi iam non potuisset. Varijs ergo modis exponitur hæc ratio. Primo ut Christus non loquatur de ascensione locali in cælum: sed de ascensione spiritali in cor, & mentem Magdalene, ut sensus sit, nondum me agnoscis, & quæris ut verum Dei filium, & ita in fide tua nondum ascendis ad Patrem, id est, ad æqualitatem cum Patre, neque ad veram naturam filij Dei, & ideo noli me tangere. Ita Augustinus tractat. 121. in Ioann. & sermone sexagesimo de verbis Domini, & 152. & 155. de tempore. Qui etiam metaphoricè exponit illa verba, Noli me tangere, de tactu fidei, id est, noli in me sic credere, sicut nunc credis. Et iuxta hanc expositionem respondendum est ad difficultatem propositam, Christum tunc repulisse Magdalenam, ut fidem eius augeret, atque perficeret. Erat enim tunc imperfecta. Postquam autem vidit Christum, & ab eo edocta, atque illuminata est, non solum perfectionem existimationem de illo habere cœpit: sed etiam locas feminas in eadem fide instruxit, ideoque in secunda apparitione omnes permittit tangere Christum, & adorare. Et hanc responsionem significauit Hieronymus dicta questione quinta ad Hedibiam in sine dicens. Magdalenam prius à Domino fuisse correptam, ut incredulam: post verò in tantum cum alijs profecisse, ut & permittit fuerit tenere pedes eius. Sed responsio hæc fundatur potius in sensu mystico, quam in literali, cum non sit iuxta verborum proprietatem, ut patet ex verbis à Christo subiunctis. Vade ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum, ubi apertè loquitur de corporali ascensione. Et idem dicendum est de alia expositione Hieronymi supra, ubi verbum illud, Nondum ascendis, exponere videtur, id est, nondum resurrexisti, & ad statum gloriæ peruenisti, scilicet in tua fide & existimatione. Vnde, inquit, Quem mortuum quæris, viuentem tangere non mereris. Si me nondum putas ascendisse ad Patrem: sed hominem fraude sublatum, meo tactu indignaris. Et veramque complectitur Ambrosius Lucæ ultimo, & significat libro de Isaac, & anima capite quinto & sermone, 58. qui potius Diui Maximi esse censetur. Nec dissimilis est, quam significat Leo Papa sermone secundo de ascensione, dicens, Magdalenam tunc gessisse personam Ecclesiæ, quæ Christum in hac vita habere præsentem desiderare poterat, cui Christus, Noli, ut ad me corporaliter venias, neque ut me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te dissero, maiora tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectum, verusque palpabis, apprehensura quod non tangis, & creditura, quod non cernis. Quibus verbis etiam significat, illam repulisse propter imperfectam fidem. Rationem autem Christi aliter explicare videtur, scilicet, Nondum ascendis, id est, nondum tu peruenisti ad eam perfectam fidem, quam post meam ascensionem consequutura es. Quæ explicatio præterquam quod non bene accommodatur contextui, auget difficultatem propositam. Quia iuxta hanc rationem sic expositam non debuisset Christus ante accessionem se tangendum præbere, aut Magdalene, aut alijs.

Testimonij
Ioann. 20.
1. expositio.

August.

Hieronym.

Hieron.

Ambro.

Maxim.

Leo Papa

Tertullian.

Deinde id, quod commune est omnibus ijs expositionibus scilicet, Mariam Magdalenam repulsum esse propter imperfectionem fidei, non video, quo fundamento nitatur, cum verbum eius, Magister, potius indicet indubitam fidem: & ita Tertullian. libro contra Prax. capite 25 Magdalenam vocat fidem: feminam, quæ non ex curiositate, neque ex incredulitate, sed ex fide, & dilectione Christum tangere aggressa est.

Atque easdem difficultates habet expositio Cyrilli. 12. in Ioann. capite 50. ubi ait, Christum ante passionem facile permittisse quoslibet peccatores ad se tangendum accedere, ut eos sanctificaret. Quia eo tem-

Expositio
Cyrilli.

eo tempore adhuc erat in similitudine carnis peccati, ut notauit etiam D. Thom. infra quæst. 80. articulo 4. ad 1. At vero post resurrectionis gloriam, non ita facile se palpari permisit, ad significandum corpus Christi non esse tangendum nisi ab his, qui Spiritum sanctum acceperunt. *Qui ergo* inquit Cyrillus) *nondum Spiritum sanctum miserat, ideo a tactu suo Mariam prohibebat dicens, Nondum enim ascendi ad Patrem meum, id est, nondum Pater per me Spiritum sanctum ad vos misit.* Contra hanc enim expositionem obstat quod iuxta illam non debuisset postea permitti, se tangi à mulieribus, & discipulis. Responderi tamen posset, Christum voluisse hoc semel significare in Magdalena adhuc imperfecta: non tamen oportuisse, ut semper id obseruaret. Tum quia necessarium erat ad confirmandam resurrectionem aliquando ut se cōtrectari permitteret. Tum etiam, ut lenitatis ac beneuolentiæ signa discipulis exhiberet. Sed quamuis hoc ita sit, illa tamen ratio valde mystica apparet, & in verbis Christi non habet fundamentum. Multo autem magis voluntarium est, quod quidam addunt, Magdalenam non solum voluisse adorare Christum, & deosculari pedes eius: sed etiam petiisse ab eo, ut sibi daret Spiritum sanctum, quem post suam se resurrectionem daturum promiserat. Et ideo Christum ita respondisse. Hoc enim liberè excogitatum est, neque in presenti textu Euangelii habet fundamentum, neque in alio loco ubi Christus Spiritum sanctum promisit. Illa enim promissio facta est in cena, ubi soli aderant Apostoli, & fortasse ad aures Magdalene nondum venerat.

Ioannes Hefselius in historia passionis & resurrectionis domini.

s. Expositio. Chrysost. Theoph. Euthym. Iustin. Martyr.

Alij ergo exponunt, Magdalenam existimasse, Christum rediisse ad eandem vitæ conditionem, quam ante mortem habuerat: sicut fratrem suum Lazarum paulò antea à Christo resuscitatum adspexerat: & ideo voluisse eodem modo, atque eandem familiaritate cum illo conuersari, ut antea solebat. Christum autem, ut eam doceret ad altiorē vitæ statum se surrexisse, eam prohibuisse dicendo, *Noli me tangere.* Ita exponit Chrysostom. homilia 85. in Ioan. quem Theophylactus, & Euthym. sequuntur, & fuit antiquior expositio Iustini mart. quæst. 48. ad Orthodoxos. Dicitur est (inquit) Maria a Seruatore, *Noli me tangere: quasi diceret, noli me siqui, ut perpetuo tecum verseris, sicut erat ante meam crucem consuetudo.* Iuxta quam expositionem non erit necessarium dicere, Christum repulisse Magdalenam, ut nullo modo ipsum tangeret, suosque pedes deoscularetur: sed ne diu, atque familiariter ibi cum ipso maneret. Quin potius addit Caietanus, nec displicet Iansenio ca. 145. non tantum voluisse Magdalenam, tangere pedes eius: sed etiam præ nimia lætitia, & incredibili vi amoris voluisse illum amplecti, eiusque faciem, & collum tenere, & ab hoc contactu eam repulisse Christum. Quod si verum esset, facillimè expeditur difficultas proposita. Nam postea Magdalena iam admonita à Christo, non accessit eo modo, sed solum ad pedes procidit cum reliquis mulieribus adorandi causa, & idcirco permitta est tangere Christum.

Ioan. 17. Luc. 10.

Sed mihi hæc non probantur, Chrysostomus enim dicit, Magdalenam voluisse accedere ad Christum eo modo, quo prius solebat. Impitum autem esset cogitare Magdalenam fuisse solitam eo modo contingere, vel amplexari Christum, sed solum, procidere ad pedes Domini (ut dicitur Ioan. 11.) & secus pedes eius sedere (ut dicitur Luc. 10.) ergo incredibile videtur hoc tentasse, quando Christus ei apparuit: vel saltem non est hæc mens Chrysostomi, neque vllus vnquam Sanctorum id dixit. Deinde, quamuis Christus non ostenderit Magdalene gloriam suam tamen solo suo aspectu, tantam grauitatem & venustatem ostendebat, ut honorem quendam, seu reuerentiam conciliaret, Vnde verbum, quod sta-

tim protulit Magdalena, scilicet *Magister*, potius fuit reuerentiæ, quam amoris. Ergo verisimile est magna cum reuerentia procidisse ad pedes eius: nec fuisse ob hanc causam à Domino repulsam. Denique iuxta hanc expositionem difficile applicatur ratio Christi. Quid enim significat. *Noli mecum tam familiariter agere, quia nondum ascendi ad Patrem meum?* Nunquid post Ascensionem erat illo modo, ac familiaritate Christum cōtrectatura? Nisi quis fortasse dicat, in statu gloriæ futurum esse inter Christum, & Beatos familiarem illum tractandi & conueniendi modum, & hoc voluisse Christum significare, ut indicauit Bernardus serm. quinto, de omnibus Sanctis. Sed hoc quoque non est admodum probabile, tum quia etiam in cælo non erit illa familiaritas, quæ indecentiam quandam præfert. Tum etiam, quia Christus non dicit, *Nondum enim ascendimus*, sed de se solo loquitur. Tum denique quia nullus interpretum ita intellexit.

Bernard.

Aliter vero solet accommodari ratio Christi ad prædictam expositionem, ut non intelligatur perfecta, & consummata solis illis verbis, *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, sed coniungenda sint etiam sequentia, *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, &c.* Ita ut sensus totius orationis sit *Noli me tangere*, id est, ne existimes tam familiariter esse mecum agendum. Quamuis enim, nondum ascendi ad Patrem meum, tamen iam sum in eo statu, in quo breui ascendam. Itaque iam sum constitutus in statu glorioso, & immortalis, & ideo neque mihi debetur terrena habitatio, nec prior conuersandi modus, quamuis propter vestram vtilitatem aliquantulum differam Ascensionem meam. Quæ expositio placuit recentioribus: & est probabilis, vim tamen aliquam infert literæ. Tum quia oportet subintelligere, vel addere aliquod verbum, scilicet, *quamuis non ascendi.* Tum etiam quia illa verba, *Vade autem ad fratres meos*, non commodè interponuntur, Neque magis placet modus, quo alij Christi rationem inducunt. Dicunt enim, subintelligendas esse plures interrogationes, quas Magdalena facere posset, quas Christus præuenire, eisque vno verbo satisfacere voluit. Cum enim Christus illi dixisset, *Noli me tangere*, potuisset ipsa conqueri, & dicere. Quid rei hoc est? Nonne, Domine, tecum familiariter agere solebam, & ad deoscolandos pedes tuos benigne admitti? Cui Christus tacite respondet, se iam esse in statu gloriæ, & immortalis, in quo ascensus esset ad Patrem. Sed quia potuisset Magdalena rursus inflare dicens. Nonne ego te video sicut antea? Nonne tecum eodem modo loqueris, & conuersaris? Ad hæc omnia respondet Christus illis verbis, *Nondum ascendi ad Patrem meum*, ac si diceret, noli mecum ita familiariter conuersari. Quia licet tibi me conspiciendum præbeo, non ideo est, quia status in quo iam sum constitutus, id requirit: sed quia ex dispensatione quadam nondum ascendi ad Patrem propter vestram vtilitatem. Quæ omnia sunt quidem ingeniosè excogitata: tamen obscurum valde, & Laconicum fingunt Christi sermonem: & præterea supponunt aliquid incertum, & quod vix potest commodè explicari. Non enim satis intelligo, quis fuerit hic modus nimis familiaris, quo Magdalena voluit tangere Christum: neque etiam video fundamentum ad dicendum, Magdalenam existimasse, ad vitam mortalem, eum surrexisse.

Vltima ergo expositio, & maximè consentanea literæ esse videtur, Christum nihil aliud voluisse Magdalene significare, nisi ut velociter properaret ad annuntiandam suam resurrectionem discipulis. Vnde cum ipsa vllat ad pedes eius immorari, & semel, atque iterum deosculari, dixit illi: *Noli me tangere*, id est, noli nunc in hoc immorari, ac si non esses amplius me visura. Erit enim postea tempus, in quo potissis meo conspectu frui, meque contingere, ac bene-

Expositio vera.

Magdalena Christum in hoc tangere cur prohibere.

venerari. *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, id est, quia non solum nondum iam ascendi: sed etiam per aliquot dies non sum ascensus, & ideo prope-
ra ad fratres meos, & dicillis intra breue tempus
me ascensurum ad Patrem, prius tamen videndum
fore ab eis: ut ex alijs Euangelistis colligitur. Quæ
expositio nullam vim infert illi verbo, *Ascendi*. Nam
licet sit præteritum, & non futuri temporis: tamen ad
maiores rei explicationem, & exaggerationem
solemus ita loqui etiam in vulgari sermone, ut
cum aliquem virgemus, ut antequam discedat, ali-
quid faciat, Hispanè etiam respondere solet, *no soy
ydo*, id est, antequam discedam, erit tempus id præ-
standi.

Responso.

Magdalena
Christum in
via tangere
una cum a-
lijs feminis
cur permissa.

Sed hæc expositione supposita, vtget amplius dif-
ficultas in principio posita. Nam si Christus non
permisit à Magdalena tangi sese, ne moram faceret:
ergo eandem ob causam non debuit in via hoc per-
mittere tam ipsi, quam reliquis mulieribus: sed mo-
nere potius, ut properarent. Ad hoc vero facile
respondi potest. Primò, cum Christus dixit Mag-
dalena, *Noli me tangere*, non omnino prohibuisse,
ne ipsius pedes deoscularetur, ac veneraretur: sed
significasse, ut citò se expediret, & ad discipulos fe-
stinaret. Sicuti & quando discipulis dixit, *Neminem
salutaueris in via*, non interdixit eum salutandi
modum, quem charitas, & urbanitas exigit, sed vo-
luit eo dicendi genere significare, ut sine mora pro-
ficisceretur munus obituri suum. Ad hunc ergo
modum, cum dixit Mariæ Magdalene, *Noli me tan-
gere*, non omnino vetuit, ne pedes deoscularetur, ac
veneraretur suos: sed indicauit ei sedulitatem, ac
diligentiam, quam nauare oportebat in annuntian-
da discipulis resurrectione sua. Et idè nihil ob-
stat, quòd postea tam ipsi Magdalena, quam alijs
mulieribus, se adorandum tangendumque præ-
buerit. Nam id etiam sine multa mora fieri po-
tuit, solum quantum charitas, ac debita reuerentia,
deuotioque poscebant. Vnde illis statim dixit
Christus, *Ite, nuntiate fratribus meis*. Et hinc fortasse
Athanasi in libro de Incarnatione Christi, occa-
sionem sumpsit dicendi, Christum omnibus mulie-
ribus ad se accedentibus dixisse, *Noli me tangere*:
eas tamen nihilominus accedentes tenuisse pe-
des eius, & adorasse. Nam, licet non legamus o-
mnibus dixisse illa propria, ac formalia verba: ta-
men quoad sensum omnibus dixit, ut irent, ac pro-
perarent nuntiaturæ discipulis resurrectionem.
Et eadem ratione, quamuis non legamus, Magda-
lenam in prima apparitione tenuisse pedes CHRIS-
TI, & adorasse, tamen non fuit absolutè vetita
id facere: ideoque verisimile est fecisse id qui-
dem, quamuis quam citissimè, nullaque interiecta
mora.

Secundò, quamuis daremus, Christum omnino
prohibuisse Magdalene in prima apparitione, ne se
contingeret, posset sufficiens ratio assignari, ob
quam in secunda apparitione hoc permissum sit
tam illi, quam socijs, videlicet, quia Maria iam ex
parte impleuerat, quod Christus iusserat, & gaudiū
resurrectionis cum socijs suis communicauerat,
quibus resurrectionem Christi annuntiauerat. E-
inde iam minime morari volebat ad pedes Do-
mini, sicut prius: sed statim simul cum alijs eum ad-
orare, & statim iter maturare suum. Denique non
omittam dicere, quod Epiphanius hæresi vigesima
sexta, prope finem significauit his verbis, *Ut ostende-
ret manifestam castitatem, & sanctimoniam per sanctifi-
cationem, dicit Maria, Ne me attingas*. Indicat enim ra-
tionem moralem potius, quam literalem, videli-
cet, Christum ob exemplum purissimæ castitatis
non permississe, Mariam prius se contingere, quando
videlicet, sola erat: postea verò in præsentia, & con-
fortio aliarum mulierum id permississe. Addi etiam
potest ratio mystica, quam latè persequitur Ruper-

Fr. Suarez, tom. 2.

A tus libro decimo quarto in Ioannem, quod Maria
quando sola accessit ad Christum gerebat figuram
Ecclesiæ ex gentibus congregandæ, quæ non con-
tractu corporali, sed spiritali fide ad Christum post
Ascensionem eius erat peruentura. De quare multa
legi possunt in Petro Chrysologo ser. 75. & sequen-
tibus.

Secunda difficultas est, quomodo variæ Ange-
lorum apparitiones, quas Euangelistæ narrant, cum
nostra sententia cohæreant. Et præcipuè est diffi-
cultas de apparitione duorum Angelorum, quam
Lucas refert dicens, *Ecc duo viri steterunt secus illas in
veste fulgenti*. Quam apparitionem necesse est, esse
distinctam ab illa, quæ facta est Mariæ Magdalene,
quando vidit duos Angelos. Dicitur namque est,
quando illos vidit, fuisse eam solam, & ab alijs fœ-
minis seiunctam, & Ioannes dicit fuisse extra sepul-
chrum: at illi duo Angeli (de quibus Lucas memi-
nit) visi sunt ab omnibus illis fœminis existentibus
intra sepulchrum: non apparet autem quando, iux-
ta ordinem historię supra positum, hi duo Angeli
videri potuerint à mulieribus. Quando enim pri-
mum ingressæ sunt in monumentum, tantum vide-
runt vnum Angelum intus (ut Marcus narrat) postea
verò non sunt iterum ad illud reuersæ. Quia eodem
Euangelista teste, discessere statim magno pauore
conculsæ.

In explicanda hac difficultate, & repugnantia,
quæ esse videtur inter Euangelistas narrantes has
apparitiones Angelorum, variæ sunt expositiones.
Quidam ita conciliant, & texunt seriem historię, ut
primò mulieres viderint vnum Angelum extra sepul-
chrum sedentem super lapidem, (ut Matthæus
narrat) eiusque monitu mulieres (quibus ipse dixit,
Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus) intro-
euntes viderint iuuenem sedentem in dextris (ut Mar-
cus narrat) statim verò præ timore egressæ sunt. Ma-
gdalena porro, quæ sola permanfit, iterum se incli-
nans ad monumentum vidit duos Angelos, & Do-
minum, atque iterum reuersa est ad discipulos. Ali-
terim vero alij duo Angeli apparuerunt reliquis
mulieribus, quæ à monumento timore plenæ, aca-
nimo consternatæ discesserant. Hæc vero senten-
tia mihi probari non potest. Primò, quia est pa-
rum consentanea narrationi Lucæ. Is enim potius
significat mulieres vidisse hos Angelos, intra sepul-
chrum, sic enim scribit, *Et ingressæ non inueniunt
corpus Domini Iesu: & factum est, dum mente consterna-
ta essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste
fulgenti*. Et postquam retulit omnia, quæ Angeli
mulieribus dixerunt, subdit, *Et regressæ à monumen-
to, nuntiauerunt, &c.* Ex hoc enim contextu satis
verosimilis coniectura fit, mulieres ingressas mo-
numentum, antequam exirent, vidisse Angelos, eo-
rumque verba audiuisse. Quod etiam patet ex illis
verbis Angelorum, *Non est hic*. Erant ergo in ipso
sepulchro, quod designatur per illud aduerbium
hic. Præterea quia inferius significat Lucas Magda-
lenam affuisse cum alijs mulieribus, quando ij duo
Angeli apparuerunt. Nam post citata verba ait,
*Erant autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria la-
zari, & cetera, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apo-
stolos hæc*. Responderi potest, Lucam non dicere,
Magdalenam huic visioni Angelorum interfuisse:
sed narrasse Apostolis, quæ viderat simul cum alijs
mulieribus. Quod verum esse potuit, quia licet
non omnes simul: tamen omnes eadem fere vide-
rant, & audierant, & omnes eadem narrarunt Apo-
stolis. Sed non est reuera hæc Euangelistæ mens,
cum enim ait, *Quæ dicebant ad Apostolos hæc*, aper-
tè refert per illud pronomen, *hæc*, eadem, quæ ip-
se narrauerat. Neque est verisimile, mentionem
facere de Magdalena, & de illa scribere, quomo-
do eadem narrauit, quæ aliæ mulieres, nisi quia
significare voluit, eam affuisse omnibus, quæ scri-
pserat,

Aaa

pferat,

Matth. 28.
Athanasi.

Epiphanius
Castitatis
exemplum.

Pet. Chrys.

2. Dubium.

Luc. 24.

Ioan. 20.

Marc. 16.

Matth. 28.

Marc. 16.

Luc. 24.

pferat. Accedit, hanc esse sententiam Augustini, & communem omnium interpretum: contrariam vero neque habere fundamentum, neque esse necessariam ad explicandam seriem historię, vt ex dicendis patebit.

Ex his rationibus consequenter infero hanc visionem Angelorum, quam Lucas narrat, accidisse, antequam Christus primò appareret Magdalene in specie hortulani. Quia quando hi duo Angeli appuerunt, adhuc mulieres non credebant, Christum viuere, & corpus eius mortuum querebant, vt patet ex illis verbis Angelicis, *Quid queritis viuentem cum mortuis?* Sed postquam Magdalena vidit Dominum, & occurrit alijs mulieribus, eisque nuntiavit, quod viderat, iam non inquirebant viuentem cum mortuis: sed potius ibant nuntiaturæ Apostolis, quod Maria viderat, quibus per viam incedentibus iterum CHRISTVS apparuit, vt supra diximus: ergo, si Magdalena affuit huic apparitioni Angelorum (vt verè affuit) necesse est, vt ante primam Christi apparitionem sit facta. Dicunt verò quidam, hanc visionem Angelorum (quam Lucas narrat) esse eandem cum ea, quam memorat Ioannes: illos tamen Angelos bis loquutos fuisse, primum soli Magdalene coram alijs, postea omnibus. Sed non placet, primò, quia apud Lucam Angelis apparuerunt cum omnes mulieres simul erant, & intra sepulchrum: apud Ioannem vero, cum Magdalena esse sola, & in vestibulo, vt exponemus. Secundo, quia vt colligitur ex Ioanne Magdalena statim post verba & nutus Angelorum conuersa est, viditque Dominum: ergo non possunt commodè interponi cetera verba.

Cyrrill. Ier.
Beda.
Burcardo.

Vt ergo totam hanc rem exponamus, supponendum est ex Cyrrillo Ierosolym. catechesi 14. & Beda libro de locis sanctis, seu de situ Ierusalem capite secundo, & ex Burcardo in libro de descriptione terræ Sanctæ, in prima parte, capite septimo, in sepulchro Domini duplicem fuisse speluncam, alteram exteriorem (quam Cyrrillus vestibulum sepulchri appellat) alteram interiorem, in qua excisum erat sepulchrum à pauieto terræ tribus palmis erectum. Inter quæ duo loca ostium erat, in quo lapis fuit positus, quo sepulchrum Domini clausum dicitur in Euangelio. Ex qualocumque descriptione intelligitur illa exteriorem partem speluncæ respectu diuersorum dici posse esse extra, & intra sepulchrum. Etenim si per sepulchrum intelligamus parua illam & interiorē speluncam, vbi positum fuit corpus Domini, reliqua pars dicitur exterior, & qui in illa fuerit, dicitur esse extra sepulchrum: si autem per sepulchrū, seu monumentum intelligamus totam illam speluncam, sic qui fuerit intra priorem partem eius, dicitur esse intra sepulchrum. Hoc ergo supposito, facillè intelligi potest tota series historię.

Responsio

Primò enim Matthæus dicit, mulieres peruenisse ad monumentum, & Angelum reuoluisse lapidem, & sedisse super eum. Vnde verisimile fit, lapidem sublatum ab interiori ostio sepulchri positum esse in exteriori parte speluncæ, ibique Angelum loquutum cum mulieribus, quæ apud Marcum dicuntur ingressæ in monumentum. Quia ingressæ sunt in priorem partem speluncæ, in qua etiam viderunt inueniem sedentem à dextris, vt idem Marcus narrat: Atque rectè intelligitur, eandem esse apparitionem Angeli, quam Matthæus & Marcus narrant, vt August. etiam docuit libr. 3. de consensu Evangelistar. cap. 4. & Theophylact. & alij, quamuis alias etiam afferant rationes conciliandi Matthæum cum Marco. Quod verò de eadem re loquantur, probabile fit primò ex similitudine circumstantiarum. Vterque enim describit Angelum sedentem, & indutum veste candida, & loquentem ad feminas eisdem ferè verbis. Secundo, quia nulla est dissimilitudo, quæ cogat ad asserendum, illos Angelos

Concordia
Euangelistarum
in re.
fensu angelorum
apparitionibus.
August.
Theophyl.
Matth. 28.
Marc. 16.
August.
Theodor.

fuisse distinctos. Illa enim videtur esse maxima, quod Matth. significat fuisse extra sepulchrum, tum quia dicit, *sedisse super lapidem*: tum quia dixit mulieribus, *Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus*. Marcus autem indicat Angelum visum esse intra sepulchrum, dum ait, *Introentes in monumentum viderunt inueniem, &c.* Vt enim omittam aliam expositionem Augustini dicentis, hæc verba posse exponi per anticipationem, & aliam Theophylacti, & aliorum dicentium, eundem Angelum, qui prius extra visus fuerat, postea ingressum esse cum mulieribus, ibique iterum sedisse: quæ violentiæ mihi videntur, & parum consentaneæ literæ. Illa explicatio, quæ ex dictis colligitur, facillima est, scilicet Marcū loquutum fuisse de toto monumento, in cuius parte exteriori erat lapis sublatum ab ostio interioris speluncæ, ad quam videndam Angelus mulieres inuitauit. In alijs vero omnibus nulla est apparens repugnantia: sed vnus addit, quod alter omisit: vt verbi gratia, Marcus tantum dicit, *Angelum sedisse*: non verò significat, vbi sedebat. Quod Mat. addidit, scilicet, *super lapidem*: non tamè exposuit, in quo situ: hoc verò explicuit Marcus dicēs sedisse à dextris. Quod ita videtur intelligendum, lapidem sublatum ab ostio monumenti iacuisse ad dexterā partem ipsius iannæ seu hominum volentium ingredi interiorē speluncam, seu sepulchrum.

Secundo post hanc visionem primi Angeli conuenienti ordine sequitur, quod Lucas narrat. Cum enim, monente Angelo, mulieres ingressæ fuissent sepulchrum, ibi viderunt duos viros in veste fulgenti, audieruntque omnia, quæ loquuti sunt, postea verò egressæ sunt de monumento. Quod autem subdit Lucas, *Regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vnde erant, &c.* ceteris omnibus, dupliciter accommodari potest ad prædictam seriem historię. Nam, si teneamus, has visiones Angelorum accidisse, antequam Magdalena reuerteretur ad Apostolos (quod Ioannes narrat) optimè, ac consequenter dici potest, hæc omnia statim facta esse, prout à Luca narratur, ita vt egressæ de monumento, antequam vlla earum Christum vidisset, omnes fuerint ad nuntiandum discipulis, quæ viderant. Cui expositioni consonant verba illa, quæ dixit Cleophas cum Christo loquens Luca 24. *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inueniunt corpus eius venerunt dicentes, &c.* etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt, eum viuere, ergo signum est, eas statim reuersas esse ad discipulos post visionem Angelorum, antequam CHRISTVM viderent. Nam si vidissent, hoc maximè illis nuntiassent, idemque Cleophas potissimum narraisset. Et iuxta hunc ordinem consequenter dicendum est, iterum fuisse reuersas ad sepulchrum cum Magdalena, & discipulis, quibus iterum à sepulchro redeuntibus Magdalena sola permansit, viditque Dominum, & postea velociter reuertens alias feminas est consequuta, quibus CHRISTVS iterum apparuit, vt supra explicatum est. Contra hanc vero expositionem solum potest obiici. Quia videtur repugnare ijs, quæ

Luc. 24.

Ioannes refert, nimirum, Magdalenam reuersam ad discipulos dixisse, *Tulerunt Dominum meum*. Sed responderi potest, vtrumque accidisse, scilicet, quod Magdalena id diceret: alia verò affirmarent, se Angelos vidisse. Nam vt supra dixi, fortasse Magdalena præ nimio affectu, ac turbatione non existimabat esse Angelos, sed homines, qui corpus Domini furati fuerant: vel certè putabat, esse sublatum ab Angelis, quorum verba, vel præ turbatione non satis intellexit: vel certè non integrā fidem eis adhibuit, aut si in principio credidit, postea hæsitauit: alie verò fortasse maiore fecere loquētibz fidem, Cuius signum est quia exierant de monumento cum gaudio magno. (vt Matthæus dicit) & ideo postea narrabant discipulis

Obiectio.

Responsio

Matth. 28.

discipulis omnia, quæ viderant. Quod vero Marcus ait, nemini quicquam dixisse præ timore, intelligendum est, vel de custodibus, vel de alijs, qui eis occurrerunt, donec peruenerunt ad discipulos. At verò tenendo cum Augustino & alijs Patribus [quos suprarctulimus] Magdalenam vel solam, vel cum reliquis foeminis, reuersam esse ad discipulos, antequam illum Angelum videret, alio modo erit hic locus explicandus, vt statim commodius exponemus.

Tertio igitur, postquam mulieres territæ visione Angelorum, egressæ sunt de monumento, & alia longius discesserunt, Magdalena permansit in vestibulo sepulchri. Sic enim intelligo, quod Ioannes ait *stabat foris plorans*: vbi se inclinans ad ostium monumenti, vt videret sepulchrum interius, iterum vidit duos Angelos, vnum ad caput, alium vero ad pedes sepulchri (vt Ioannes narrat) & tunc Christus apparuit à tergo Magdalene, quem Angeli inspicientes signa reuerentiae illi exhibuerunt, & hæc fuit occasio Magdalene conuertendi se retrorsum, vt notarunt Chrysostomus, homil. 85. in Ioannem, & Athanasius, quæstio. 78. ad Antiochum. Postea verò contingere omnia, quæ de veraque apparitione Christi ad mulieres supra diximus: ac tandem id, quod Lucas dixit, mulieres narraffe hæc omnia discipulis. Lucas enim prætermisit apparitiones Christi ad foeminas, quas satis scripserunt alij Euangelistæ, & ideo narrata visione Angelorum, quam alij prætermiserant, statim gradum fecit ad mulierum enarrationem scribendam. Huic vero expositioni ob stare possunt citata verba ex Cleopha. Quibus responderi potest, mulieres quidem vtrumque narraffe discipulis, scilicet & Angelos, & Christum vidisse: Cleopham tamen vel non omnia audiuisse, aut intellexisse: vel certe non esse ausum omnia dicere homini peregrino, ne rem nimum absurdum, & incredibilem referre videretur. Atq; ita omnia in concordiam rediguntur, quæ claritatis gratia oporteret in breuem summam redigere: id tamen commodius prestabimus Sectione sequenti.

SECTIO IV.

Quoties apparuerit Christus in ipso Resurrectionis die.

Pincipiò certum est, Christum in die Resurrectionis quinque apparuisse. Quæ sententia fuit Augustini dicto libr. 3. de consens. Euangel. capit. 25. quam D. Tho. hic art. 3. ad 3. docuit, & est certa. Nam ferè colligitur ex Euangelistis. Vt enim vidimus, illo die bis apparuit mulieribus, & Lu. 24. dicitur eadem die apparuisse duobus discipulis euntibus Emaus: ij rursum regressi statim Ierosolymam, vt nuntiarent Apostolis quæ viderant, inuenere ceteros discipulos dicentes, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*: statimq; ad eos Dominus ianuis clausis ingreditur, vt idem Lu. Marc. ac Ioan. referunt. Fuerunt ergo quinque apparitiones in illa eadem die præter eam, quæ Virgini facta est. Nam si alie ab Euangelistis omiffæ sunt, ignorantur. Quod vero hæc contigerint, ipsa Dominica die, in qua Christus resurrexit, constat. Nam Matth. dicit Christum apparuisse foeminis in prima Sabbati, & idè dicit Marc. de apparitione facta Magdalene: idemq; est sensus Luca, qui eam diem vocat *vnam Sabbati*. Nam vna (more Hebræorum) ponitur pro prima (vt in superioribus diximus) & in eadè die narrat factas esse tres alias apparitiones. Deniq; addit D. Th. cōiecturam, ob quam Christus primo die toties apparuerit, scilicet, vt statim hanc resurrectionis constanter reciperent Apostoli, ceteriq; discipuli. Quia vero de primis duabus apparitionibus, earumq; ordine satis differuimus, superest, vt de alijs tribus, ac de earum ordine dicamus.

Fr. Suarez, tom. 2.

A Secundo ergo verisimilius est, tertiam apparitionem factam esse Petro. Ita Aug. lib. 3. de consens. Euangel. ca. 25. Et solum potest probabili coniectura ostendi: Nam solus Lucas obiter hanc apparitionem attigit, non tam illam describendo, quam referendo, quid de illa discipuli iactarent. Paul. vero i. ad Cor. 15. huius apparitionis meministi verbis, *Christus resurrexit tertia die secundum scripturas, & visus est Cepha, & post hoc undecim*. Ex quibus verbis aliqui colligere voluerunt, Christum primum apparuisse Petro, quia Paulus hanc apparitionem primo loco ponit. Sed est sententia omnino falsa, & repugnans Euangelio Marci, nec habet in Paulo fundamentum. Quia ipse non affirmat, Christum primò apparuisse Petro, sed solum inter apparitiones, quas narrat, hanc ponit primo loco. Quia reuera fuit prior cæteris ibi descriptis: tamen, sicut non omnes ibi scriptæ sunt, ita non fuit hæc prima omnium apparitionum absolutè, & simpliciter. Sicut etiam Paulus ponit secundo loco apparitionem factam undecim discipulis, quæ sine dubio videtur esse illa, quæ facta est octauo die à resurrectione Domini: vel illa, quæ facta est recumbentibus undecim discipulis. Nam illa, quæ facta est ipso die resurrectionis ad vesperam, non est facta undecim (aberat enim Thomas vt constat ex Ioanne) non igitur fuit ordine secunda, sed vt minimum sexta: ponitur tamen à Paulo secundo loco respectu earum, de quibus ipse scripsit. Sit ergo certum, hanc apparitionem factam Petro fuisse post primam apparitionem factam Mariæ Magdalene. Quod verò etiam fuerit post secundam factam mulieribus, nõ est ita euidens in Euangelio, est autem valde verisimile: si consideremus ea, quæ hæcenus diximus de apparitionibus factis mulieribus, quod statim amplius explicabimus. Item colligi potest ex Matthæo qui refert, Christum, postquam apparuit mulieribus in via, dixisse illis, *Ite nunciate fratribus meis*, indicans vsque ad illud tempus nemini discipulorum apparuisse. Deniq; Cyr. lib. 12. in Ioan. 15. & 25. congruentiam reddit, ob quam Christus prius foeminis, quam viris apparuerit: vt sicut prima mulier, inquit, diabolo ministravit, sic Christo ministret mulieribus genus. Et Chryl. hom. 90. in Matt. Considera, inquit, quomodo & ipse per hæc mulieres resurrectionem discipulis annuntiat, huiusmodi sexum plurimum ignominie obnoxium in honorem, spesq; bonas adducens, & satiscientem curans. Addit Euthym. c. 68. in Matth. *Quo ante omnes diluculo surrexerant, ante omnes vidisse Dominum in mercedem sui studij, suæq; festinationis*. Relinquitur ergo, hanc apparitionem Petri posteriorum fuisse duabus factis mulieribus. Quod vero antecesserit duas sequentes, probatur. Et primo de apparitione facta discipulis cōgregatis ianuis clausis, res est euidens ex Luca, qui narrat, ante ingressum Christi in cenaculum ianuis clausis, dixisse discipulos, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Deinde, de alia apparitione facta duobus discipulis euntibus Emaus sit probabilis coniectura ex Luca. Dicit n. eadem hora reuersos esse illos Ierosolymam, & inuenisse discipulos dicentes, apparuisse Dominum Simoni: ergo præcellerat illa apparitio. Dices, Dum illi discipuli redierunt ab Emaus in cenaculum, potuit Christus apparere Simoni, & ipse Simon narrare alijs discipulis. Propter hanc responsionem non dixi hoc esse certum, esse tamen verisimile, tum quia nulla est ratio ad excogitandum, in illo breui intervallo temporis apparuisse Petro, & congregatos esse discipulos, ac Petrum sibi factam apparitionem eis retulisse. Tum etiam, quia per se fuit conueniens, vt inter viros primo appareret Petro, vel quia futurus erat caput omnium, vel ne videretur neglectus propter peccatum commissum: sed indicaretur potius, quam esset utilis poenitentia, quantaq; Christi charitas, & sollicitudo consolandi discipulum magno dolore confectum ob crimen commissum. Nam propter has causas etiam angelus loquens ad foeminas,

Tertia apparitio Christi in die resurrectionis Petro facta. August. Luc. 24. 1. Cor. 15.

Ioan. 21.

Matth. 28. Cyril. Alex.

Chrysost.

Euthym.

Luc. 24.

Obiectio.

Responsio.

specialem fecit Petri mentionem, dicens, *Ite, dicite*, A discipulis eius & Petro. Et fortasse hoc etiam voluit indicare Paulus primo loco numerans hanc apparitionem Petri. Denique Christus apparuit duobus discipulis aduersperascente iam die, ut colligitur ex illis verbis, *Quoniam aduersperasit, & inclinata est iam dies*, & quando illi discipuli redierunt ad reliquos discipulos, iam erat sero, ut colligitur ex Ioan. 20. ergo verisimile est antea apparuisse Petro. Quopropter, licet Euangelistæ non explicant, quomodo hæc apparitio iuxta seriem historiarum facta sit: probabiliter tamen exponendo verba Lucæ, coniectare possumus, quomodo res hæc acciderit. Dicit enim Lucas, postquam mulieres narrarunt Apostolis, quæ viderant, Petrum cucurrisse ad monumētum, *Et procumbens, ait, vidi lineamina sola posita, & abiit secum mirans, quod factum fuerat*. Et licet Augustinus supra existimet, hanc profectionem Petri ad monumētum esse eandem cum ea, quam Ioannes narrat, à Luca verò esse narratam per recapitulationem, aliquantulum inuerso ordine historiarum nihilominus dici probabiliter potest, fuisse diuersam. Nam Petrus, & Ioannes iuerunt ad monumētum, priusquam mulieres narrarent, se vidisse Dominum: imo fortasse etiam antequam angelos viderent. Lucas verò significat hunc posteriorem cursum Petri fuisse post secundam reuersionem mulierum narrantium, se vidisse angelos, & fortasse etiam Dominum, ut supra exposuimus. Atqui per se credibile est, postquam denuo Petrus audiuit mulieres dicentes, se vidisse Christum, fuisse valde anxium, ac sollicitum de inquirendo, & videndo illo, cumque ipse nihil aliud præstare posset, rediisse iterum ad monumentum, præsertim cum audisset mulieres ibi perseuerantes tandem eum vidisse. Et hinc vltius fit coniectura, sicut apparuit Christus mulieribus reuertentibus à sepulcro, ita etiam tunc occurrisse Petro, quando solus redibat admirans, quod factum fuerat.

Luc. 24.
Ioan. 20.

Luc. 24.

Apparitio
Christi facta
Petro quādo.

4. Apparitio
in die resurrectionis facta
discipulis
eum ibi E.
mauriti.
Marc. 16.
Luc. 24.

August.

Joseph.
Plin.
Sozomen.
Lycanus.
Eusebius.
Nicostris.

Tertio iam ex dictis constat, quartam apparitionem huius diei fuisse factam duobus discipulis, quæ Lucas fuse persequitur. De qua pauca breuiter notanda sunt, quæ ad veritatem & fidem historiarum exploranda sunt necessaria: reliqua enim expositioribus Euangeliorum relinquimus. Primum est, hæc eandem apparitionem attigisse Marcum cum dixit, *Post hæc autem duobus ex his ambulantiibus ostensus est in alia effigie, eum ibi in villam*. Nam licet Euthy. c. 48. in Marcum, contrarium sentiat, qui propterea sex apparitiones ponit factas hoc die, & tertiam esse hanc de duobus discipulis, quam narrat Marcus: quartam apparitionem Petri, quintam vero hanc, quam nos quarto loco ponimus. Cæterum hæc est sententia Augustini, cæterorum Patrum, ac expositorum: nec est vllam fundamentum ad has apparitiones distinguendas. Nam quod Marcus dixit, apparuisse Christum illis in alia effigie, Lucas explicuit his verbis, *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*. Ideo enim tenebantur, quia aliter immutabantur ab obiecto, & hoc erat apparere in alia effigie, ut in superioribus explicatū reliquimus. Deinde, quod Marcus dicit, illos discipulos iussisse in villam: Lucas verò in castellum, perinde est. Quia, si latinas voces attendamus, eandem ferè habent significationem: Græcè autè dicitur in Marc. *eis & 7. iuan.* n. Luca verò *eis & 7. iuan.* vtrumque tamen significare potest villam vel pagum. Quia verò parum distabat Ierosolymis, & intra territorium eius continebatur, ideo à Marco nomine, *agri*, aut *prædij* significatur, quamvis esset oppidum non ignobile, ut sumi potest ex Iosepho lib. 17. antiquitat. cap. 12. & lib. 4. de bello Iudaico, cap. 1. & Plinio libro 5. Historiarum cap. 14. & Sozomeno libro 3. historiarum cap. 20. & Hieronymo lib. de locis Hebraicis, qui dicit, illud oppidum postea vocatum esse *Nicopolim*, fuisseque insignem Palestinæ ciuitatem.

Solum illud, quod maximè mouit Euthymium, Obiectio. Euthym. potest aliquam difficultatem ingerere. Nam Marcus dicit, hos discipulos nuntiasse cæteris, quæ viderat, & neque ipsis credidisse: Lucas verò ait, hos duos, cum reuerli fuissent, inuenisse discipulos iam credentes, & dicentes. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Qui ergo fieri potest, ut illis eandem sententiam confirmantibus non crederent? Hinc ergo colligit Euthymius prius venisse illos duos, de quibus loquitur Marcus, annuntiantes porro quæ viderant, nec ijs habitam fidem: postea vero venienti Petro credidisse, tãquam viro maioris autoritatis, & principi cæterorum. Dicendum vero est, in ea multitudine discipulorum quosdam fuisse, qui Petro crediderunt, se vidisse Dominum: alios vero neque Petro, neque duobus discipulis superuenientibus credidisse. Et ita fieri potuit, ut hi duo venientes inuenirent aliquos qui dicerent, *surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*: alios vero qui fidem non adhiberent his, quæ ipsi narrabant. Vnde vtrumque est verum, etiam si asseratur respectu vnius multitudinis, de qua secundum personarum varietatem varia dici possunt, quæ secum non pugnent. Hoc autem ita accidisse ex ipso Euangelio Lucæ colligi potest. Dicit enim, hos discipulos regressos in Ierusalem inuenisse congregatos vndecim, & cæteros, qui cum eis erant, dicentes, *surrexit Dominus verè*. Hinc enim colligitur, fuisse inter eos Thomam [erat enim vnus ex vndecim] ille autem non credebat, nec dicebat, *Surrexit Dominus verè*. Nam etiam post sequentem apparitionem dixit, *Nisi videro, non credam*. Nō ergo credidit duobus discipulis narrantibus: per se autem credibile est, habuisse aliquos suæ incredulitatis asseclos. Verè ergo dixit Marcus illis narrantibus discipulos non credidisse. Quia non est sensus, neminem credidisse, sed aliquos, vel plures.

Secundò notandum in hac apparitione est, Lucam vnius ex his discipulis nomen aperuisse, quem Cleopham vocat, de quo in superioribus non nihil diximus agentes de Maria Cleopha, nisi fortasse hio sit alius nobis ignotus eiusdem nominis. Hieronymus vero supra dicit, hunc Cleopham fuisse municipem illius oppidi Emaus. Porro de socio Cleophae Lucas nihil dicit. Vnde aliqui suspicati sunt, eum fuisse ipsummet Lucam, ut Theophylactus in Lucam refert. Quod tamen non apparet verisimile. Quia Lucas non videtur fuisse ex discipulis, qui cum Domino conuersati sunt, sicut ipse significat initio sui Euangelij, dicens, *Sicut nobis tradiderunt, quòd à principio ipsi viderunt*. Nam si ipse fuisset ex discipulis, qui cum Christo conuixerant, potius diceret, se scribere ea, quæ viderat: Cleophas autem, & socius eius fuerunt ex discipulis Christi (ut Lucas ipse narrat) est ergo incertum, & incognitum, quis ille fuerit. Ambrosius vero capite vltimo Lucæ eum appellat *Ammaon*, quod nescio vnde sumpserit, nisi fortasse credidit eum fuisse ex vico Emaus, & inde sic appellari, quasi ab Emaus. Reliqua, quæ in hac apparitione Lucas narrat [quod attinet ad historiam] non habent difficultatem. Posset autem hic quærì, quomodo Christus ab eis non fuerit cognitus, neque de facie, neque ex voce. Item E quomodo CHRISTVS sinxerit, se ignorare, quæ facta erant, velleque longius ire absque formali fictione, seu mendacio. Rursus, quæ fuerint illa scripturæ testimonia, quæ de seipso interpretatus est. Sed hæc omnia in superioribus exposita sunt. Præterea inquiri potest, quomodo Christus panem benedixit, & an consecrauerit, vel quomodo agnitus fuerit in fractione panis. Sed hæc in materia de Eucharistia tractanda reseruamus in sequenti tomo.

Quarto dicendum est, Christum apparuisse discipulis congregatis in cenaculo ianuis clausæ eadem die Dominicæ resurrectionis noctis, vel initio noctis

5. Apparitio
in die resurrectionis facta
discipulis
in cenaculo

noctis, & hanc esse quintam, & vltimam apparitionem illius diei. Hoc totum constat ex dictis, & ex narratione Lucæ, & Ioannis. In quibus illud est obseruandum, eandem [sine dubio] apparitionem recensere. Nam licet vnus multa addat, quæ alter omisit, & è conuerso: tamen in nullare vnus alteri est contrarius, & in multis conueniunt, quæ satis indicant, de eadem re esse sermonem. Lucas enim finita narratione discipulorum redeuntium, subdit. *Dum autem hæc loquerentur, stetit Iesus in medio eorum.* Ex quo constat, hanc apparitionem factam esse hora secunda, vel tertia noctis. Oportuit enim tantum temporis, ut minimū, consumere illos discipulos in reditu, cum dicat Lucas distare Emauntē ab Ierosolymis sexaginta stadiis, hoc est septem milliaribus cum dimidio, seu duabus leucis cum dimidia. Ioannes vero dicit, *cum sero factum esset die illo.* Ergo signum est eos loqui de eodem tempore, atque adeo de eadem apparitione: & vterque dicit, stetit Iesum in medio discipulorum, eosque salutasse his verbis, *Pax vobis, & ostendisse eis manus, & pedes, seu latus, dicens, Palpate, & videte, &c.* Et quamuis Abulenſis paradox. 5. capite. 37. neget, discipulos tunc tetigisse Dominum, nec voluisse experiri veritatem corporis eius: quoniam illud fuisse signum imperfectissimæ fidei: quam tamen Christus in eis tunc non reprehendit, sicut postea fecit in Thoma. Nihilominus tamen probabilis videtur, tunc discipulos Christi corpus contrectasse. Quia, licet demus, non habuisse tam imperfectam fidem, ut hoc eis esset necessarium: tamen ad maiorem fidei confirmationem id Christus fieri voluit. Et ita docet expresse Athanas. orat. cont. Arian. in hæc verba. *Ex Deo, Deus est Verbum, Vbi tractans illa verba, Palpate, & videte omnes (inquit) cohortationem ad se palandum inuocabat, (suique specimen), & approbationem exhibebat comedendo, & contrectationem ferendo. Res enim eo opere completa fuit.* Et idem affirmat Ignat. epistol. 10. ad Smyrnen. Euseb. libr. 3. histor. cap. 80. alias 36. & Tertul. libr. de carne Christi. capit. 5. Et in superioribus multa tetigimus, quæ hanc sententiam confirmant. Denique præter hoc testimonium resurrectionis, Lucas addit aliud, scilicet, comedisse cum eis, & multa ex scriptura docuisse, quæ Ioannes quidem omittit, sed non negat. Sicut etiam Ioannes addit, Christum dedisse tunc discipulis Spiritum sanctum, & potestatem remittendi, & retinendi peccata, quod Lucas prætermisit.

Hinc vero oritur prima difficultas, seu repugnantia inter has narrationes. Quia Lucas dicit Christum promississe tunc Spiritum sanctum discipulis: qui autem promittit, non tunc dat, cum promittit: sed potius differt in posterum: Ioannes autem dicit tunc dedisse, ut patet ex illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum.* Quæ cum fuerint verba Christi, non potuerunt non esse efficacia. Porro quidam dixerunt (ut Chrysostom. refert, & Euthym. ac Theophylact. in Ioannem,) non improbant non tunc dedisse Spiritum sanctum, sed aptitudinem ad illum recipiendum. Quibus fauet idem Chrysostom. hom. 1. in act. dicens posse exponi. *Accipite Spiritum sanctum id est, accipietis Spiritum sanctum.* Sed nihilominus hæc interpretatio omnino est improbanda & videtur damnata in 5. Synod. collat. 8. capit. 12. vbi de Theodor. Mopsuesteno dicitur. *Inter alias innumeras blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem, cum inuisisset Dominus discipulis, & dixisset. Accipite Spiritum sanctum, non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratè tantum inuisit.* Denique illa interpretatio est & contra vim, ac veritatem verborum Christi: & contra Patrum expositionem, & Ecclesiæ sensum. Etenim si tunc non dedit Spiritum sanctum: nec potestatem remittendi peccata dedit. Eodem enim modo de vtroque loquutus est. Dicendum est ergo, tunc dedisse illis Spiritum sanctum,

Fr. Suarez, tom. 2.

A non tam ad propriam eorum sanctificationem, quam quoad potestatem supernaturalem ordinis ad remittenda peccata. Nam, quia remissio peccatorum Spiritui sancto appropriatur, merito cum potest remittendi peccata confertur; Spiritus sanctus dari dicitur. Non est tamen negandum: quin etiam tunc simul cum potestate data sit discipulis gratia Spiritus sancti ad propriam eorum sanctificationem, quatenus necessaria est, ad dignè, sanctèque vutendum illa potestate, sicut nunc datur in sacramento ordinis, si suscipiens sit dispositus. Plenitudo autem Spiritus sancti, tam quoad perfectionem propriæ sanctificationis, & confirmationis in gratia, quam quoad varia dona, & gratias gratis datas non est tunc data, sed in die Pentecostes: tunc vero fuit promissa, ut Lucas dixit. Et ita nulla est repugnantia. Quia idem Spiritus sanctus sub vna ratione est datus: sub alia promissus. Atque in hunc modum tandem exponit Chrysostom. & reipia eadem est sententia Cyrilli libro. 12. capite. 56. Hieronym. Epi. 150. ad Hedibiam quæst. 9. & Augustin. lib. 4. de Trinitat. cap. 20. qui licet in modo explicandi non nihil differant, non tamen de cent contraria: sed vnus magis explicat, quod alter omittit. Summa vero omnium in his, quæ diximus continetur. Prolixior vero disputatio de sensu, & intelligentia horum verborum Christi, & quomodo in eis contineatur institutio sacramenti poenitentiae (ut Concilium Tridentinum definiuit sess. 24.) non est hoc loco tractanda. Habet enim proprium locum in materia de poenitentia, quam in tomum quartum huius tertiæ partis referuamus.

C Secunda difficultas in prædicta narratione est, quia Lucas significat, interfuisse tunc Thomam, cum Christus ad discipulos ingressus est. Dicit enim Cleopham, & socium eius inuenisse vndecim congregatos, quorum vnus erat Thomas (ut supra notauimus) statim verò subdit, *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum:* at Ioannes negat, ibi interfuisse Thomam. Respondetur, hoc posterius sine dubio esse verum. Lucas verò tribus modis exponi solet. Primo, ut illa vox, *vndecim*, non denotet in rigore numerum personarum: sed per synecdochem vel appropriationem significet collegium Apostolicum, quod tunc ex vndecim constabat, & potuit dici adesse, vbi maior pars aderat. Cæterum hæc expositio non placet. Tum quia est contra propriam verbi significationem. Vndecim enim non significat collegium, sed numerum, vnde non dicit Lucas. *Inueniunt congregatum, sed congregatos vndecim;* & eos, qui cum eis erant, & paulò superius, ut explicaret, se loqui de numero personarum, dicit, *Narrauerunt hæc omnia illi vndecim.* Tum etiam, quia eo tempore vndecim Apostoli nōdum erant propriè congregati in vnum corpus, seu collegium, neque habebat nomen impositum, quo per modum vnius mystici corporis significaretur.

Secunda expositio est Euthymij, Lucam enūmerasse Matthiam inter vndecim. Quia licet tunc non esset suffectus locus Iudæ: respexit tamen Lucas ad tempus, in quo scribebar: in quo iam Matthias vnus erat ex vndecim Apostolis, secluso Thoma. In quam sententiam referri potest Chrysostom. homil. 86. in Ioann. quatenus dicit, *Thomam abfuisse, quia credibile est ex fuga nondum rediisse.* Quod etiam sequuntur Theophylact. & Euthym. in Ioan. Nam hinc necessitatio fit, Thomam non fuisse congregatum cum vndecim, quando duo discipuli venerunt. Sed neque hæc solutio placet. Quia vel magnam inducit æquiocationem, vel necessitatio ex illa sequitur, vbi quæque in tota historia resurrectionis nominantur *vndecim*, vel non comprehendendi Thomam, sed Matthiam, vel posse etiam excludi aliquem alium ex Apostolis, & loco illius substitui Matthiam, quæ omnia sunt absurda. Nam reuera Euangelistæ in huius

Spiritus sanctus post resurrectionem quomodo datus.

Chrysostom.
Cyril.
Hieron.
August.

Con. Trid.

Dubium.

Ioan. 14. 27.
Euthym.
in Luc. c. 83.

2. Expositio.

Euthym.
Chrysostom.
Theoph.
Euthym.

Aaa 3 iulius

Matth. 28.
Marc. 16.
Act. 1.

Vera expo-
sitis.

August.
Beda.
Lyranus.

August.
Greg. Pap.

Primo resur-
rectionis die
a Christo ge-
fuit qua.

iustmodi numero respexerunt ad tempus, de quo scribebant, & ita Matth. capite 28. per antonomasiam vocat, *undecim discipulos*, & Marc. capite 16. simpliciter vocat, *illos undecim*. Et idem Lucas Act. 1. post electionem Matthiae dicit, *annumeratum esse cum undecim Apostolis*.

Vera ergo responsio est, cum duo discipuli Emanuele redissent, adfuisse Thomam: intercessisse tamen aliquod tempus ante apparitionem Domini, in quo Thomas discersit: vel quia non credebat, quae narrabantur: vel alia oblata occasione, quam inquirere superuacaneum est, cum innumerae possint facile occurrere. Ita ferè Augustin. 3. de consens. Evangelist. cap. 25. Beda, Lyranus, & alij in Lucam. Neque obstat verbum illud Lucæ, *Dum autem has loquuntur*, quia in primis illo modo loquendi solum significatur, paulo post totum illud accidisse. Deinde quia credibile est, illos discipulos totam historiam apparitionis sibi factae prolixè narrasse: Thomam vero finem non expectasse, quod nugae, & deliramenta ea omnia esse sibi persuaderet. Quod tamen (vt notant Aug. tract. 121. in Ioan. & Gregor. hom. 20. in Euang.) non sine speciali Dei providentia factum est, tum vt Thomas vltus suae incredulitatis ostenderet, & perfectius, ac solidius curaretur: tum propter nostram vtilitatem, & maiorem fidei confirmationem. Cetera quae de hac apparitione dici poterant, & ad mysterium resurrectionis pertinent, in superioribus tractata sunt, scilicet, quomodo vulnera manserint in Christi corpore, & quomodo illuc intrauerit ianuus clausus, & se tangendum, palpan- dumque praeberit, & cum alijs comederit. Reliqua verò, quae ad alia mysteria spectant, in propria loca remittimus.

Ex his, quae de his quinque apparitionibus diximus, facile erit ad breuem summam redigere omnia, quae primo die resurrectionis suae Christus Dominus, ad ostendendam, & confirmandam suam resurrectionem, gessit. Resurrexit enim summo mane, & statim matri suae apparuit. Interim veniunt mulieres ad monumentum, eisque propè accedentibus opera Angeli terramotus factus est, & lapis è monumento reuolutus. Quo viso redeunt mulieres ad Apostolos, & Magdalena narrat Petro ac Ioanni, ablatum corpus Iesu. Veniunt hi ad monumentum, & vident omnia, quae à mulieribus acceperant: redeunt tamen non viso Domino. Mulieres vero, quae cum eis iterum venerant, in monumento manent: cumque ibi adessent, viderunt Angelum sedentem super lapidem in vestibulo sepulchri: cuius monitu ingrediuntur sepulchrum, ibique conspiciunt duos vt in ore duorum, vel trium testium flaret resurrectionis verbum. Porro mulieres terrae exeunt de monumento, & aliae quidem procul recedunt. Maria autem manet plorans in vestibulo iterum, atque iterum innectens sese ad scrutandum sepulchrum, ubi iterum Angelos aspexit, & paulo post conuersa rrorsum vidit Dominum. A quo iussa nuntiare discipulis, quae viderat, egreditur ocyus, breuique ceteras mulieres confectur, quibus narrat, quae viderat, & omnes gaudio, & admiratione perfusa iter eadem sedulitate prosequuntur. Dum autem ita incedunt, omnibus rursum Christus in via ostenditur: quo adorato ad discipulos iterum mittuntur. Perueniunt illae ad cenaculum, narrant quae audierant, & viderant: nullus tamen eis fidem adhibet: quin potius duo è discipulis penè desperati in oppidum, cuius fortasse erant in caelo, discedunt. Petrus verò ductus desiderio videndi Dominum, iterum ad monumentum veniens, eadem, quae prius viderat, intuetur, cumque ad mirabundus, ac cogitabundus rediret, ecce subito fit ei Christus obuiam, consolaturque merentem, & ad eos discipulos mittit. Quo facto ad reuocandos duos

alios discipulos properat Christus, eiusque fit viacomeres, ac tandem se illis cognoscendum praeberit in fractione panis. Redeunt illi ad cenaculum, ubi socios congregatos inueniunt de apparitione Petro facta colloquentes, quibus ipsi narrat, quomodo à se quoque fuerit visus, & cognitus. Denique, dum haec geruntur, Christus stetit in medio eorum ac varijs modis se verè resurrexisse ostendit, sicque grauis sunt discipuli viso Domino.

SECTIO V.

Quoties, & quo ordine apparuerit Christus post diem resurrectionis usque ad ascensionem suam.

Expositis his, quae primo die resurrectionis sunt gesta, superest, vt ceteras apparitiones ad huius materiae complementum percurramus. Quod breuius expediri poterit, quia & Evangelista pauca de ijs scribunt, & minor est in eis varietas, ac difficultas.

Primo dicendum est, post diem resurrectionis non apparuisse Christum discipulis usque ad octauum diem, in quo sexta apparitio in ordine facta est. Loquimur de ijs, quae scripta sunt. Nam de ijs, quae in illis intermedijs diebus acciderunt, nihil est memoriae proditum, & hoc sensu intelligenda sunt omnia, quae dicemus. Et ita est certa assertio ex Ioann. 20. ubi tantum hac apparitio narratur, & patebit amplius ex sequenti assertione. In hac vero apparitione nihil noui accidit ad manifestandam resurrectionem pertinens, quod in superioribus explicatum non sit. Agere autem de priori Thomae infidelitate, & de fide, quam in hac apparitione concepit, ac de sensu illorum verborum, *Dominus meus, & Deus meus*, deque Christi sententia, *Quia vidisti me, Thomas, credidisti*, Beati, qui non viderunt, & crediderunt, non est nostri instituti: in materia tamen de Fide, & de Trinitate multa de his dici solent. Illud solum aduertere oportet, ex illis verbis Christi intulisse quosdam, Thomam non tetigisse Christum: sed viso illo statim credidisse. Quia Christus non dixit, *Quia tetigisti me*, sed, *quia vidisti*, quod sentit Euthym. Ioann. 20. Sed in primis (vt August. nota- uit tractat. 121. in Ioan.) ex verbis Christi hoc colligi non potest. Nam verbum *videndi*, vsitata significatione non tantum de aspectu, sed etiam de omni experimento sensibus facto dici solet. Unde sensus proprius verborum Christi est, beati qui eas res, quas experti non sunt, neque sensibus perceperunt, credere. Qui sensus satis confirmatur ex superioribus verbis eiusdem Christi. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*. Nam inferre digitum, non ad visum spectat: sed ad explorationem tactus. Videte ergo ibi nihil aliud est, quam sensu experiri. Quocirca certum esse debet, Thomam tetigisse Christi vulnera. Quod testantur Athanas. orat. citata, Sectione praecedenti, & Aug. tractat. 121. in Ioann. qui non solum dicit, Thomam tetigisse, sed etiam, *per hoc quod videbat, atque tangebatur, remota dubitatione credidisse*. Itaque sentit per contactum ad fidem peruenisse. Et idem sentiunt Cyril. 12. in Ioan. cap. 58. & Chrys. hom. 86. in Ioan. & Gregor. hom. 26. in Evangelia. Tertul. lib. de Anima, capite 17. & alij. Atque hoc pertinet ad maiorem attestationem, & confirmationem resurrectionis propter quam Christus haec omnia faciebat.

Vltimo est in hac apparitione obseruandum, Rupertum libro decimo quarto in Ioannem existimasse hanc apparitionem non fuisse factam Ierosolymis in eodem cenaculo, in quo facta fuerat quinta apparitio in die resurrectionis: sed in Galilaea. Tum quia cum Apostoli acceperint preceptum à Christi

Christus post diem resurrectionis usque ad octauum non apparuit discipulis. Ioan. 20.

Thomas Christi suscitatorum. ra & visu explorat & tactu. Athanas. August. Chrysost. Cyril. Gregor. Tertul.

Rupert. Elucronym.

Secundi in Galilæa, non videtur verisimile tot diebus distulisse perfectionem, Ierosolymisque manifeste. Tum etiam quia Hieronym. Matth. 28. interpretans apparitionem in Galilæa factam, quam ibi Matth. narrat, inquit, *Tam manifestus ostenditur Thomas, & latus lancea vulnerum, & manus fixas demonstrat clavis.* Nihilominus certum existimo, hanc apparitionem factam esse in eodem loco, atque eisdem ianuis clausis. Quæ est sententia Augustini. Chrysostomi. Cyrilli, & fere omnium in hunc locum. Et patet ex contextu Ioannis, Et post dies octo iterum erant discipuli in eis: ubi illa particula, *iterum & intus*, aperte indicant sepe fuisse congregatos in illo loco, & absente Thoma, Christum fuisse in medio eorum, & postea eodem iterum conuenisse præsentem Thomam. Et idem colligi potest ex similitudine aliorum verborum, & totius narrationis. Item quod hæc apparitio non sit illa facta in Galilæa, quam narrat Matth. videtur euidens. Quia illa apparitio facta est in monte, ut colligitur ex illis verbis Matth. *Abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt.* Vbi Hieronym. Post resurrectionem Iesus in monte Galilæa constituitur. Hæc autem apparitio facta est ianuis clausis, quomodo ergo possunt esse vera, & eadem. Nisi quis cum Ruperto dicat, apparuisse in Galilæa in domo aliqua supra montem edificata, quam Rupertus dicit, fuisse domum B. Virginis in ciuitate Nazareth, quæ in monte edificata erat, ut dicitur Luc. 4. Sed hoc totum valde est voluntarium, & præter synceram verborum expositionem. Neque existimo Hieronymum sensisse contrarium. Non enim dicit, tunc Christum primo fuisse ostensum Thomæ, sed manifestus fuisse ostensum. Quæ verba potius indicant, iam antea fuisse illi ostensum. Tū autem dicitur manifestus fuisse id factum, vel quia non iam inter priuatos parietes: sed media luce, & coram pluribus testibus se ostendit. Vel certe, quia ipsam iterata ostensio est maior eiusdem rei, veritatisque confirmatio, ac declaratio. Quod autem discipuli distulerint perfectionem in Galilæa per octo dies, non est mirandum. Primum quia oportebat, prius omnes Christi sectatores de hoc admoneri, & ad perfectionem parari, & præsertim expediebatur, ipsum Thomam reuocari, ac persuaderi, ut vna cum aliis proficisceretur. Deinde propter Indæorum turbationem oportebat paulatim progredi, & aliquam moram interponere, ut securius possent incedere.

Secundo diceretur, septimam apparitionem fuisse ad mare Tyberiadis præsentibus quatuor Apostolis, Petro, Thoma, Ioanne, & Ioanne fratre eius. Nathanaele, & duobus aliis discipulis, prout latet narrat Ioann. ca. 21. Ex cuius verbis constat satis aperte omnes circumstantiæ huius apparitionis, & quomodo in ea Christus variis modis suam resurrectionem confirmari. Quod verò acciderit prædicto ordine, colligi potest ex illis verbis. Hoc tam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis. Hæc enim verba non possunt simpliciter intelligi, numerando omnes apparitiones, neque etiam numerando apparitiones factas viris, tamen velimus discipulorum nomine viros interpretari, quia constat ex dictis, pluries antea apparuisse tam viris, quam feminis: ergo necessario intelligendum est, hanc esse apparitionem tertiam, vel inter eas, quæ factæ sunt multis discipulis simul, & ita sit, primam, & secundam ex his tribus fuisse duas antea factas in conaculo ianuis clausis. Nam in omnibus aliis non apparuerat, nisi vel feminis, vel vni Petro, vel ad summum duobus discipulis. Concluditur ergo hanc apparitionem fuisse proximè consequentiam post aliam factam octauo die resurrectionis, atque ita esse ordine septimam. Vel certe exponere possumus hanc fuisse tertiam apparitionem in ordine narrationis Ioannis, non simpliciter, quia hoc modo potius est quarta, cum prius

narrauerit apparitionem factam Magdalene, sed respectu virorum, & multitudinis discipulorum. Et hoc sensu idem concludi potest, quia verisimile est: Ioannē more suo seruasse rerum gestarum ordinem in historiæ narratione. Præsertim quia indubitatum videtur, hanc apparitionem non euenisse ante tractatum octauum resurrectionis diem. Nam (ut diximus) discipuli vsque ad octauum diem Ierosolymis manserunt: hæc autem apparitio in Galilæa, facta est. Nam mare Tyberiadis in Galilæa erat. Quod autem fuerit prima omnium, quæ factæ sunt in Galilæa eadem hic coniectura ex prædictis verbis Ioannis, & ex ordine narrationis. Vnde Glossa interlinealis aliter exponens prædicta verba eandem sententiam confirmat. Dicit enim hunc fuisse tertium diem, in quo Christus se manifestauit. Primus enim fuit dies resurrectionis: secundus, dies octauus: tertius, in quo præfens apparitio fuit facta, de quo quantum à superioribus distet, ignoratur. Dices, in principio huius narrationis ait Ioannes. *Postea manifestatus se iterum Iesus.* Ergo iam prius se manifestauerat in Galilæa. Respondeo negando consequentiam, quia particula, *iterum*, solum denotat iterationem similis rei gestæ. Dicit ergo Ioannes, iterum se Christum manifestasse, quia iam prius se manifestauerat, licet non in Galilæa. Nec refert, quod non semel tantum: sed sæpe se manifestauerat, quia particula *iterum* non significat idem, quod *secundo*, sed potius idem, quod *iterum*, Hispanè, *otra vez*. Quod si quis contendat significare idem, quod *secundo*, & dicere rationem ad solam aliam priorem apparitionem dicat, hanc fuisse secundam apparitionem factam præsentem Thomam. Vnde, cum Euangelista proximo narraffet apparitionem factam Thomæ, subdit, iterum Iesum se ostendisse Thomæ cum aliis discipulis.

Continet autem apparitio hæc duas præcipuas partes. Prior propriè pertinuit ad manifestationem, & confirmationem resurrectionis Christi, & ideo finita narratione huius partis subdit Ioannes. *Hoc iam tertio manifestatus se iterum Iesus*, & tota huius partis narratio est clara, & multa continet mysteria secundum mysticam interpretationem, sed non est nostri instituti hæc prosequi. Neque in his, quæ spectant ad confirmandum mysterium resurrectionis, de quo agimus, specialis difficultas occurrat. Legatur Greg. hom. 24. in Euang. August. tract. 122. in Ioann. Chrysostom. homil. 86. & sequentibus. Cyrill. libro 12. cap. 63. & ibi reliqui expositores. Posterior pars huius historiæ continet institutionem visibilis Monarchiæ Ecclesiasticæ, summumque pontificatum Petro à Christo collatum, sicut fuerat ante promissus. De qua re, quæ grauissima est, & propter quam præcipuè Ioannes scripsit hanc apparitionem, his temporibus latissimè contra hæreticos disputatum est, & in materia de fide nonnulla à nobis tradita sunt, (quæ si Deus opem tulerit) aliquando in lucem emittentur. Addit vero obiter Ioannes in hac apparitione, prædixisse Christum Petro mortem eius, de ipso vero Ioanne aliquid ambiguum & subobscurum prædixisse: vnde orta est quaestio, an Ioannes mortuus fuerit, quam in fine huius operis tractabimus.

Dico tertio, octauam apparitionem esse illam quam in monte Galilæa factam Matth. narrat. Ita docet August. 3. de consens. Euangelist. cap. 25. quem omnes sequuntur. Et coniectura esse potest: quia alia apparitiones, de quibus dicemus in sequenti conclusionem, factæ sunt in Iudæa, sed præcedens apparitio facta est in Galilæa, ergo & hæc ibidem est facta: ergo credendum est, contigisse antequam discipuli in Iudæam redirent. Euenit ergo proximè post superiorem apparitionem ad mare Tyberiadis factam. Narrat porro Matthæus hanc apparitionem factam esse coram vndecim discipulis: non verò dicit, illos

Gloss. Inter.

Obiectio.

Responsio.

Greg.
D. Thom.
Chrysost.
Cyr. Alex.Octaua
Christi re-
surgens in
monte Ga-
lilæa facta
August.

August.

fuisse solos, quin potius credibile est magnum discipulorum numerum illuc confluisse, ut inferius annotabimus. Et potest sumi coniectura ex illis verbis, *quidam autem dubitauerunt*, non est autem verisimile, aliquem ex Apostolis iam dubitasse: in multitudine autem discipulorum non est mirum, aliquos fuisse in fide imperfectos. Matth. vero vndecim specialiter meminit, ut significaret illos esse principes Ecclesie, & ad illos specialiter direxisse Christum illa verba: *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, &c.*

Dubium.

Sed occurrit in hac apparitione non contemnenda difficultas, cur tam angeli, qui mulieribus apparuerunt, quam ipse Christus eisdem apparens iusserunt nuntiari discipulis, ut irent in Galilæam, quoniam ibi Christum essent visuri: cum multo antea eum viderint Ierosolymis, & nihil peculiare, aut infigne legatur in hac apparitione, cuius gratia ea iussio, seu promissio facta esse credatur. Nam quod illa promissio in hac apparitione impleta sit: coniectura esse potest: Quia prior, quæ facta est ad mare Tiberiadis, non fuit coram omnibus discipulis, sicut hæc, postquam non legimus aliam apparitionem factam in Galilæa. Hanc difficultatem tractat late D. Thom. hic artic. 3. ad 4. In qua illud in primis certum est, Christum neque mutasse sententiam, neque promissum non implevisse, eo quod prius alibi, quam in Galilæa fese discipulis ostenderit. Quia neque ipse, neque angeli dixerunt, visum iri eum duntaxat in Galilæa, & non alibi: neque prius in Galilæa quam alibi. Vnde Ambros. super Lucam, capite 24. *Non est*

Ambros.

*(inquit) promissi transgressio, sed potius festinata ex beniginitate impletio. Quod autem ibidem ait Ambrosius, Dominum prius mandasse discipulis, ut in Galilæam se viderent: sed illi metu intra conclaue resistentibus, primum se obtulisse: postea confirmatis animis illos Galilæam perisse: Hoc (inquam) non est ita intelligendum ac si Christus prius decrevisset ostendi primo discipulis in Galilæa, & postea explorata discipulorum dispositione, manifestationem maturasse suam. Constat enim Christum nihil ignorasse, & omnia, quæ à se facienda erant præordinasse, ac statuisse. Sed sensus Ambrosij est, Christum à principio mandasse discipulis, ut irent in Galilæam, quia illuc præcipua eius intentio, voluntasque tendebat sese generalius manifestandis: interim tamen, dum illa solennis apparitio parabatur, voluisse discipulos suos consolari, & animare. Ex quo secundo intelligi potest ratio, ob quam Christus à principio suæ ostensionis tam per angelos, quam per se ipsum illud mandatum ad discipulos transfuderit: quia scilicet ibi decreverat, manifestare sese non privatim, & in occulto, sicut Ierosolymis, ubi discipuli erant timore Iudeorum pleni: sed palam, & publice, deposito omni Iudeorum metu, & cum magna tranquillitate, & securitate. Vnde etiam intelligitur, hanc apparitionem fuisse coram multis discipulis, ut multi existiment (sicut ex Eusebio hic D. Thom. refert) quod Paulus ait. 1. ad Corin. 15. apparuisse Christum plusquam quingentis fratribus, in hac apparitione fuisse impletum. Hieronymus vero quæst. 7. ad Hedibiam probabiliter credit Christum non semel tantum aut iterum suis discipulis in Galilæa apparuisse: sed sæpius. Ita ut familiariter, & quasi continue cum eis versaretur, & ibi impletum sit quod Lucas ait Actorum 1. *Quibus & præbuit se ipsum vivis post passionem suam per dies quadraginta apparet eis.* Et hinc etiam coniecturare possumus, quas ob causas statuerit Christus hoc modo apparere potius in Galilæa, quam in Iudæa. Prima est, quia in Galilæa plures habebat discipulos, ac sectatores. Secunda, quia in ea regione securius poterant Apostoli, & discipuli versari. Tertia (ut ait Chrysost. hom. 33. in Matth.) ut hoc ipsum esset discipulis indicium, eundem, qui in Galilæa conceptus fuerat, atque educatus, quique in ea regione frequen-*

1. Cor. 15.
Hieronym.

Chrysost.

tius prædicauerat, & maiora miracula fecerat, eundem, inquam, esse, qui resurrexerat: & qui in eadem regione eis apparebat, in qua plurimum cum ipso conuersati fuerant. Quarta, quia fortasse intellexit Christus, hoc futurum grauius Apostolis, qui maiori ex parte Galilæi erant. Præter has vero causas assignari solent aliæ mysticæ: ut etiam tetigit D. Thom. ex August. lib. 3. de consens. Evangelistarum. Galilæa enim latine *transmigratio* dicitur, illa verò Galilæa dicitur Galilæa gentium Matth. 4. & Isaia 9. Significatur ergo est in hac apparitione, Christum prius Iudæis prædicatum, illis non credentibus, transitarum fuisse ad gentes, ut Paul. dixit Actor. 13. & significauerat Isaia cap. 9. ubi facta mentio Galilææ gentium subdit, *Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, & habitantibus in regione vmbra mortis lux orta est eis.* Quæ verbaliter ad litteram intelligantur de ipsa regione Galilææ (ut significat Matthæus cap. 4.) tamen in mysterio etiam continent conuersionem gentium, ut Sancti interpretantur. Deinde significatum est, Christum per resurrectionem suam transmigrasse, seu translatum fuisse ab statu possibili ad immortalem, & gloriosum. Significatum item tunc fore nobis perfecte manifestandum, quando simili modo immutati, seu translati fuerimus. Tandem ex dictis concluditur, alienam esse à traditione Sanctorum sententiam quorundam recentiorum, qui dicunt, hanc apparitionem non fuisse factam in regione Galilææ: sed in quodam loco, qui est in vertice montis Oliueti, qui nunc Galilæa vocatur. Quamuis enim non negem, reperiri huiusmodi locum, & ita appellari (sicut referunt viri fide digni, qui loca illa peragrarunt) tamen in Evangelio nunquam sumitur Galilæa in hac significatione, neque cum aliquo fundamento affirmari id potest.

D Thom.
August.Matth. 4.
Isaia 9.
Actor. 13.
Isaia 9.
Matth. 4.

Marc. 16.

Dico quarto, nonam apparitionem fuisse illam, quam Marcus narrat cap. ult. quando recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorum, &c. Decimam verò exiis, quæ in Evangelio scriptæ sunt, fuisse illam, quæ facta est in die ascensionis, quando videntibus discipulis, eleuatus est, Lucæ ultimo, & Actorum 1. Hæc est sententia Aug. disto lib. 3. cap. 25. Et quod attinet ad apparitionem, quam narrat Marcus, certum est fuisse distinctam ab illa quam dicit Matthæus factam esse in Galilæa, quamuis Tatianus & Ammonius in harmoniis Evangeliorum illas confundant. Cæterum quod sint distinctæ, colligi potest. Nam illa facta est in monte, hæc videtur facta esse in domo aliqua, & fortasse in cenaculo, ut colligitur ex verbis illis. *Recumbentibus vndecim discipulis: & inferius idem colligimus ex illis Lucæ, Eduxit eos foras.* Item illa facta est in Galilæa: hæc vero (ut probabilius creditur) in Iudæa. Nam facta est proxime ante ascensionem. Vnde etiam non videtur dubium, quin hæc fuerit post omnes, de quibus hactenus diximus, & proxime ante ascensionem. Vnde Marcus initio huius narrationis, dicit. *Novissime recumbentibus, &c.* statim post illam concludit. *Et Dominus quidem Iesus, postquam loquutus est eis, assumptus est in caelum.* Et ita exponunt Gregor. homil. 29. in Euang. & Beda lib. 4. in Marcum, qui dicit, hanc apparitionem factam esse quadragesimo à resurrectione die. Quocirca hi duo Patres in hoc videntur ab August. differre: quia non distinguunt has duas apparitiones: sed hanc, quam Marcus narrat, significant fuisse vltimam, quæ facta est ipso die ascensionis. Quod magis placet nonnullis recentioribus: sed existimo, nec descendendum esse à sententia Augustini, neque eos Patres inter se dissentire. Et D. Thom. quidem hoc loco ita eos conciliat. Apparitionem, quam narrat Marcus, fuisse vltimam, quæ facta est in terra, & ideo appellari *novissimam*: postea vero in ascensione visum esse Christum non in terra, sed in aere, & in nube. Ad quod

Luc 24.
Act. 1.
August.Tatian.
Ammon.

Marc. 16.

Greg. Paph.
Beda.

D. Thom.

quod amplius explicandum addere possumus, finita apparitione (quam narrat Marcus) factum esse, quod narrat Lucas, *Eduxit autē eōs foras in Bethaniam.* Nam cum præcedens apparitio facta fuerit in coenaculo (vt supra ex verbis Marci ostendimus) vt discipuli viderent Christum ascendentem, necesse fuit foras educi. Neque oportet intelligere ita Christum eos eduxisse, vt visibiliter eos fuerit comitatus in itinere, neque enim incredibile est, tantam multitudinem discipulorum simul fuisse profectam: sed diuisim, aut diuersis viis, ad vitandum populorum remorem. Ergo non oportebat Christum eos visibiliter comitari. Nisi quis fortasse pie meditetur, Christum vna cum Virgine, & aliquibus Apostolis visibiliter incessisse, q. nobis nihil obstat: quia nihilominus sequens apparitio, prout facta est vniuerso cœtui discipulorum, numerari potest, vt distincta: præsertim cum nouo, & inuitato modo fuerit facta. Dicitur ergo Christus eduxisse foras discipulos, eo quod iusserit eos exire, & omnes conuocare in eum locum, à quo erat in celum ascensurus. Illic ergo iterum ab omnibus discipulis visus est, vel in terra, vel in aere (vt Diuus Thomas vult) prope terram. Verisimile enim est, prius fuisse aliquantulum à terra eleuatum, vt ab omnibus commodissime videri posset, atque ita aliquo breui tempore fuisse cum eis, & (vt ait Lucas) *eleuatis manibus benedixisse eis*, ac tandem ab eis recessisse.

Vltimo addendum est præter has apparitiones quas Euangelistæ narrant, sapius illis quadraginta diebus Christum apparuisse. Hoc colligitur primo ex Act. 1. illis verbis. *Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam; in multis argumentis per dies quadraginta apparetis eis.* Secundo ex Paulo 1. ad Corinth. 15. vbi loquitur in hæc verba, *Vidit eum Cepha* (de hac apparitione iam diximus) & post hoc vndecim: de hac etiam diximus, posse esse eandem cum ea, quæ facta est præsentem Thoma. Dominica in octaua Resurrectionis, vt bene exponit D. Thom. 1. Corinth. 15. Aduertendum tamen est, Græca habere hoc loco *duodecim*, & ita legere Chrysostomum, & Theophylactum ibi, & Eusebium ad Marinum, apud Anastasium Nicenum, quæstione 90. in scripturam. Vnde Græci interpretes varie exponunt. Primo Chrysostomus homilia 38. ait loqui Paulum de aliqua apparitione facta omnibus Apostolis post ascensionem, & electionem Matthiæ. Nam infra etiam loquitur de apparitione ibi facta, quam constat, fuisse post ascensionem, & alia, quas ibi numerat, incertum est, quando factæ sint. Secundo alij dixerunt, sermonem esse de prædicta apparitione diei octauæ, & ibi affuisse Matthiam, & numeratum esse à Paulo, quia iam tunc, cum Paulus scripsit, erat vnus ex duodecim. Tercio ait Iansenius illud nomen, *duodecim*, non esse positum propter numerum personarum: sed ad significandum collegium Apostolicum, & ita vtitur hoc loco ad confirmandam similem expositionem alterius loci Ioann. 20. quam supra tractauimus. Et Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum cap. 25. quamuis fateatur, varias esse huius loci lectiones: magis tamen indicat legendum esse, *duodecim*, & inter alias explicationes innuat hanc tertiam iis verbis, *Siue sacramentum illum numerum etiam in vndecim stare voluerit, quia duodenarius in eis numerus ita mysticus erat, vt non posset locum Iudæ, nisi alius, id est, Matthias, ad conseruandum sacramentum eiusdem numeri subrogari.* Ex quibus verbis colligi potest, aliquod maius esse fundamentum, vt nomen *duodecim* retentum sit ad significandum collegium Apostolicum deficiente Iudæ, quam nomen *vndecim*, ad significandum reliquos Apostolos deficiente Thoma, scilicet, propter mysterium, & quia prius viuente Christo fortasse eo nomine appellabantur. Quarto tandem addit ibidem August. non oportere hunc locum intelligere de duodecim Apostolis,

sed de aliquibus duodecim discipulis, quicumque illi fuerint. Et potest hoc fieri verisimile, quia statim dicit Paulus, deinde apparuisse Christum omnibus Apostolis. Quod si hoc verum est, consequenter dicendum est, hanc apparitionem esse distinctam ab ijs, quæ in Euangelio narrantur. Melius tamen est retinere vulgatam latinam editionem, quam sequitur Ambrosius, Hieronymus, Anselmus, Diuus Thomas & alij, & ex Græcis ita etiam legit Theodoretus. Qua lectione supposita recte exponitur hic locus de apparitione facta octauo die Paschæ, vt diximus. Quamuis Anselmus, & nonnulli alij exponant per synecdochem, de quinta apparitione facta in die paschatis: quod non ita placet, vt superius dictum est.

Addit præterea Apostolus deinde *visus est plusquam quingentis fratribus simul.* De quo Hieronymus q. 7. ad Hedibiam, probabile existimat hanc apparitionem factam esse in Galilæa: an vero sit distincta ab ijs, quæ narrantur in Euangelio, vel eadem cum illa, quæ facta sunt in monte Galilææ (quam Mat. narrat) incertum est.

Dicit præterea Paulus, *Deinde visus est Iacobo.* Hæc apparitio noua est, & distincta ab omnibus supra tractatis. Nominando enim Iacobum, satis significat illi singulariter factam esse, vt omnes interpretes exponunt, qui etiam hoc intelligunt de Iacobo Alphei, seu fratre Domini. De quo ad Galat. 1. ait Apostolus. *Alinum Apostolorum v. diuinem, nisi Iacobum fratrem Domini.* & cap. 2. hunc Iacobum numerat inter tres columnas Ecclesiæ cum Petro, & Ioanne. Quando autem hæc apparitio facta sit, quidam existimant, factam esse ipso die resurrectionis summo mane, propter historiam, quam refert Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis ex quodam Euangelio Hebræorum, scilicet: hunc Iacobum in nocte cœnæ voluisse non comesturum panem: donec videret Christum resurgentem à mortuis, & ideo Christum ei apparuisse, ac dixisse, *Frater mi, comede panem tuum quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Nam, si hæc est vera historia, necesse est, dicere citissime illi apparuisse, ne tanto tempore ieiunius perseveraret. Sed Diuus Thomas super Paulum propter hanc causam non admittit hanc historiam, & Augustinus 3. de Consens. Euangel. cap. 25. hanc apparitionem esse factam post alias, quarum Paulus prius fecerat mentionem.

Ad hæc ait Paulus. *Deinde Apostolus omnibus, hæc esse potuit apparitio illa, quæ Marcus refert, factam esse recumbentibus vndecim discipulis.* Tandem dicit: *Nouissime autem omnium tanquam abortiuo visus est mihi.* Hæc iam non pertinet ad proprias apparitiones resurrectionis: sed ad eas, quæ factæ sunt post ascensionem, de quibus postea dicendum.

Vltimo circa hanc conclusionem est aduertendum. Ignatium in epist. ad Polycar. & ad Symirnen- ses, de iis ita loqui. *Ego vero & post resurrectionem in carne eum vidi.* Quæ verba nunc desiderantur in epist. ad Polycarp. ea vero ex eadem Epistola refert Hieron. de scripto. Eccles. in Ignatio, in epistola autem ad Smyrnenf. habentur in hunc modum. *Ego vero non modo in carne ipsum cognosco ex natiuitate, & crucifixione eius: sed & post resurrectionem scio eum in carne fuisse, & credo etiam nunc esse: & eodem modo referuntur ab Eusebio libro tertio, capite trigesimo, alias trigesimo sexto. Ex quibus verbis non colligitur aliqua sensibilibus apparitio Ignatio facta: si autem priori modo legantur illa verba, prout à Hieronymo referuntur, dicere posset aliquis, Ignatium vidisse Christum cum aliis discipulis in aliqua apparitione earum quæ ab Euangelistis narrantur: quia fortasse tunc Ierosolymis, vel in Galilæa inuentus est inter discipulos. Sed hoc admitti non potest, si veræ sunt epistolæ Ignatii ad B. Virginem, & ad Ioannem. Nam ex eis colligitur, Ignatium prædicationis*

Ambros.
Hieron.
Anselm.
D. Thom.
Theodor.

Hieron.

Iacobo Al-
phai postre-
surrectionem
Christum
apparet.
1. Cor. 15.
Ga 1 & 2.

Hieronymus

D. Thom.
August.

Ignat.

Hieron.

Euseb.

tione Ioannis Euangelistæ ad fidem fuisse conuer-
sum. Vnde necesse est, hanc visionem Ignatii, si vere
fuit sensibilis, post ascensionem Domini fuisse: hoc
tamen, nec sufficiens habet fundamentum, nec co-
hæret cum verbis supra citatis, in quibus distincte
fit sermo de tempore resurrectionis, & post ascensio-
nem. Quocirca de hac apparitione nihil est certi, ne-
que de aliis, præter eas, quas adduximus.

ARTICVLVS V.

*Virum Christus veritatem resurrectionis debuerit
argumentis declarare.*

306.
3. d. 21 q. 2.
art. 3 & 4.
Et op. 3. cap.
245. & op.
60 cap. 22.
co. 4.
lib. 1. de fid.
cap. 5 non
procul à fine
tom. 2. Hom.
26. in Enag.
in prim. illius



Quintum sic proceditur. Videtur, quod
Christus veritatem resurrectionis non de-
buerit augmentis declarare. Dicit enim Am-
brosius Tolle argumenta vbi fides queritur: sed
circa resurrectionem Christi queritur fides.

Non ergo habent ibi locum argumenta.

2. Præterea. Greg. dicit. Fides non habet meritum, vbi hu-
mana ratio prebet experimentum. Sed ad Christum non per-
tinebat meritum fidei euacuare. Ergo ad eum non pertinebat;
resurrectionem per argumenta confirmare.

3. Præterea. Christus in mundum venit, vt per eum ho-
mines beatitudinem adipiscantur: secundum illud Ioann. 10.
Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Sed per
huiusmodi ostensiones argumentorum videtur humana bea-
titudini impedimentum præstari, dicitur enim Ioan. 20. Beati
qui non viderunt, & crediderunt. Ergo videtur, quod Christus
non debuerit per aliqua argumenta resurrectionem suam ma-
nifestare.

Sed contra est, quod dicitur Act. 1. quod apparuerit disci-
pulis Christus per dies quadraginta in multis argumentis, lo-
quens de regno Dei.

In Retbo. ad
Alexandri.
c. 14. a me.
tom. 6.

Respondeo dicendum, quod argumentum dicitur duplici-
ter. Quandoque dicitur argumentum quæcunque ratio rei du-
bia faciens fidem. Quandoque autem dicitur argumentum,
aliquid sensibile signum, quod inducitur ad alicuius verita-
tis manifestationem, sicut etiam Arist. in libris suis aliquan-
do videtur nomine argumenti. Primo igitur modo accipiendo
argumentum, Christus non probauit discipulis suam resurre-
ctionem per argumenta, quia talis probatio argumentaria
processisset ex aliquibus principiis, quæ si non essent nota disci-
pulis, nihil per ea eis manifestaretur: quia ex ignotis non po-
test aliquid fieri notum. Si autem eis essent nota, non trans-
cenderent rationem humanam, & ita non essent efficacia ad
fidem resurrectionis astringenda, quæ rationem humanam ex-
cedit. Oportet enim principia ex eodem genere assumi: vt dici-
tur in primo Posteriorum. Probauit autem eis resurrectionem
suam per auctoritatem Sacre Scripturæ (quæ est fidei funda-
mentum) cum dixit. Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt
in Lege, & in Psalmis, & Prophetis de me, vt habetur Luca
ultimo. Si autem accipiat secundum modo argumentum, sic
dicitur Christus suam resurrectionem argumentis declarasse,
in quantum per quadam euidentia signa, se vere resurrexisse
ostendit. Vnde in Græco, vbi nos habemus: In multis argu-
mentis, loco argumenti, ponitur tecimiron, quod est signum
euidens ad probandum. Quæ quidem signa resurrectionis
Christus ostendit discipulis propter duo. Primo quidem, quia
non erant corda eorum disposita ad hoc quod de facili fidei
resurrectionis acciperent, vnde ipse dicit eis Luca ult. O stulti
& tardi corde ad credendum. Et Marc. ultimo, exprobrauit
illis incredulitatem eorum, & duriciam cordis. Secundo, vt
per huiusmodi signa eis ostensa, efficacius eorum testimonium
redderetur: secundum illud 1. Ioan. 1. Quod vidimus, & audi-
uimus, & manus nostræ contraxerunt, hoc testamur.

lib. 1. te. 20.
tom. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod Ambrosius ibi loquitur
de argumentis secundum rationem humanam procedentibus,
quæ inuoluntaria sunt ad ea, quæ sunt fidei ostendenda: sicut osten-
sum est.

Ad secundum dicendum, quod meritum fidei est ex hoc
hoc. quod hoc mandato Dei credit, quod non videt. Vnde illa
sola ratio meritum excludit, quæ facit videri per scientiam
id, quod credendum proponitur, & talis est ratio demonstra-
tiua. Huiusmodi autem rationes Christus non induxit ad re-
surrectionem suam declarandam.

Ad tertium dicendum, quod (sicut dictum est) meritum
beatitudinis, quod causat fides, non totaliter excluditur, nisi
homo nollet credere, nisi ea quæ videt, sed quod aliquis ea, quæ
non videt credat per aliqua signa visa, non totaliter fidem
euacuat, nec meritum eius. Sicut & Thomas, cui dictum est.

Quia vidisti me, credidisti, aliud vidisti, & aliud credidisti,
vidisti vulnera, & credidisti Deum. Est autem perfectior
fidei, qui non requirit huiusmodi auxilia ad credendum.
Vnde ad arguendum defectum fidei in quibusdam, Dominus
dicit Ioanni quarto. Nisi signa, & prodigia videritis, non cre-
datis. Et secundum hoc potest intelligi, quod illi, qui sunt tam
prompti animi, vt credant Deo, etiam signis non visis, sint
beati per comparationem ad illos, qui non credunt nisi talia
videant.

COMMENTARIVS.

Cum D. Thomas in superioribus articulis decla-
rauerit, oportuisse Christum non resurgere ma-
nifeste coram discipulis: sed postea manifestari ali-
quibus, quorum testimonio in aliorum noticiam
deveniret: in hoc articulo & sequenti explicat, hoc
fuisse, & conuenienti, & sufficienti modo à Christo
Domino perfectum. Porro in præfati articulo, vt illum
conuenientem modum explicet, simul declarat ver-
ba illa Actorum 1. Præbuit seipsum viuum post passionem
suam in multis argumentis. Quorum sensus est, Chri-
stum multis argumentis ostendisse suis discipulis se
esse viuum, atque adeo surrexisse. Vt autem D. Tho.
explicet, quid nomine argumentorum, ibi intelli-
gitur, distinguit significationem illius vocis. Interdum
enim quæcunque ratio rei dubiæ faciens fidem di-
citur argumentum: & hoc modo non sumitur (in-
quit) in prædictis verbis: quia illi non fuisset cor-
tueniens modus ostendendi resurrectionem. Nam
res supernaturales non possunt hoc modo ratione
ostendi: sed diuina auctoritate, quæ Christus est vi-
sus, tam scripturis vtendo, quam in memoriam re-
uocando suam promissionem, ac prædictionem
Lucæ vigesimo quarto. Hæc sunt verba, quæ loquutus sum
ad vos, cum adhuc essem vobiscum: & ibidem, & stulti,
& tardi corde ad credendum in his, quæ loquuti sunt Prophetæ.
Eadem auctoritate vsi sunt Angeli, quando annun-
tiarunt resurrectionem illis verbis. Surrexit sicut dixi:
& illis, Præcedet vos in Galileam, ibi eum videbitis, sicut
dixi vobis: & apertius apud Lucam. Recordamini, quæ
liter loquutus est vobis, cum adhuc in Galilea essem. Alio
modo (inquit D. Thom.) dicitur argumentum, quod-
cunque signum sensibile, quo aliqua res ostenditur,
& hoc modo, dicit, sumi in prædicto loco Act. quod
recte colligitur ex nomine Græco τεκμήριον, quod
proprie significat, signum rei, non quæcunque sed
certum, ac verum. Idemque colligi potest à suffi-
cienti enumeratione. Et præterea quia veritas rei
factæ secundum realem existentiam, non potest
argumentis ostendi ex natura rei sumptis: sed ex
effectibus, ac signis ostendi debet. Vnde tandem con-
cludit Diuus Thomas hunc modum fuisse con-
uenientem duplici ratione, scilicet, & propter tardita-
tem: ac in dispositionem discipulorum, & vt eorum
testimonium efficacius redderetur, vt enim constat
ex materia de Fide: quamuis sensibilia experimen-
ta alii

Testimonij
ad. 1.
Expositio.

Argumenti
vox quid di-
notet.

Luc. 24.